NEOSTADII PALATINORVM
TYPIS MATTHÆI HARNICH.
CIↃ. IↃ. XXCVI.

* *
*

NEOSTADII PALATINORVM
TYPIS MATTHÆI HARNICH.
CIↃ. IↃ. XXCVI.

* *
*

# MARCI BEVMLERI TIGVRINI AD IACOBVM ANDREAE TRIPLEX SCRIPTVM:

I. *Falconis complementum, in quo de Metonymia Sacramentali, de rei ſignatæ perceptione, de manducatione infidelium diſputatur.*

II. *Prodromi Vbiquitarij modeſta confutatio.*

III. *Index aliquot grauiſſimorum certaminum & errorum Iacobi Andreæ è poſtremis eius centonibus collectorum.*

NEOSTADII PALATINORVM
*Typis Matthai Harniſch.*

M. D. LXXXVI.

# FALCONIS COMPLEMENTVM, IN QVO VERITAS NOSTRÆ DOCTRINÆ, DE METONymia Sacramentali, de rei ſignatæ participatione in Sacra Cœna, de manducando infidelium, aduerſus Sophiſmata Cuculi Vbiquitarij defenditur.

*Poſteaquam Labyrinthi tui Prodromum vidi, & legendo percurri, Iacobe Andrea, redij in memoriam grauiſſimi illius dicti:* Ἀ νίκητον ἡ ἀλήθεια καὶ δόξα καὶ κράτος. *Inuicta eſt veritas: falſa verò opinio & mendacium diſſoluitur, & ſua ſponte dilabitur. Cùm enim in meo Falcone, quem Cuculo tuo oppoſui, te multorum grauiſſimorum errorum, in quibus verſaris, & impudentiſſimarum calumniarum, quibus cum noſtras Eccleſias, tùm D. Gryneum in odium inuidiamq; adducere voluiſti, conuicerim: propriæ nimirum conſcientiæ ſtimulis perculſus, nihil contra reſpondere, multo minus conſtanter refutare audes. Quo certè omnibus intelligentibus ſatis ſuperq; probas: te odio nimirum noſtri excœcatum & abreptum, ea temerè in lucem emittere, quæ ſi negentur, aut modeſtè ſaltem refutentur, probare non modo non poſſis, ſed ne coneris quidem. Atque hæc tibi ſæpenumerò iam vſu veniſſe, teſtantur tot doctiſſimorum hominum aduerſus tuas calumnias defenſiones: quæ etiam poſteritati de tuis moribus teſtabuntur. Vt autem Dædalo iſti fabuloſo aſtutia & fraude nihil inferior habereris, & vt oſtenderes, te etiam cereis alis ex infinitis anguſtijs, quibus te Falco noſter irretiuit, euolare & liberari poſſe: en nobis, abiecto Cuculi patrocinio, Labyrinthum fabricare animum induxiſti. Quo quid aliud te facere iudicabunt viri graues & prudentes, quam animum tuum perplexum & perturbatum, atque ingenium leue variumq; prodere, & toti mundo reſpiciendum proponere? Quid enim, obteſtor omnes, quibus recta mens eſt, animi confuſi & de ſede ſua moti luculentius indicium eſſe poſſit, quàm Melancholici & triſtis Labyrinthi ſtructura? Quod magis documentum ingenij lubrici dari poſſit, quàm tam diuerſi & repugnantes partus ab vno & eodem homine, vno & eodem anno editi? Nemo quandoquidem ante hæc tempora ſibi imaginari potuit, vnquam fore, vt tale monſtrum in lucem hanc ederetur, quod eodem anno ſtolidum & inſipidum Cuculum pareret, & Labyrinthum tam ingenioſum, qualis hic tuus eſſe debebat, extrueret? Cùm verò, quo minus crimina tibi in Fal-*

*cone nostro verè obtecta dilueres, causam probabilem nactus esse tibi videaris, quòd videlicet ad tria postrema Cuculi tui capita nihil respondérim: statui hoc breui & modesto scripto, quod succisiuis horis conficiendum iudicarunt viri prudentes, primum paucis ea expedire & complere, quæ in meo scripto tantopere desideras; deinde breuissimè labyrinthi tui anfractus ambagesq; ineptas & insidiosas pio lectori inspiciendas proponere: Postremò, vt rursus habeas, in quo te exerceas, & in quo tuos fedissimos errores, quos in dies magis magisq; parturis, contempleris, aliquot nobilia eruditionis & candoris κλεηδόνηματα è postremis tuis quibusdam centonibus excerpam, & in hoc meum scriptum coniiciam. Etsi verò cum in tuo labili Labyrintho, tum in aliis tuis amarulentis scriptis, tum etiam, quòd multi mirantur, nuper admodum in publica disputatione pluribus & atrocibus iniuriis affectus sum, quarum recordatio etiam moderatissimo non abiq; causa omnem patientiam eximere posset: tamen quo ad eius fieri poterit, studebo ita tuas calumnias refutare, & errores, in quos cum te tùm alios nescio qua religione, impellis, delegere, vt tuam personam nullo modo læsisse, veritati verò quæ hic agitur, & de qua inter nos certamen est, quam modestissimè & planissimè, sicut Christianum hominem decet, testimonium perhibuisse videri omnibus bonis viris possim. Sed ad Falconem meum, cum tibi ita videatur, complendum venio.*

# DE METONYMIA in verbis Cœnæ.

Vide confutationē Disputationis Heidelbergensis. pag. 44.

QVid igitur? *Metonymiam in hac propositione*, Panis est corpus Christi, *in qua vt omnes vident, pani, vtpote signo externo & in sensus incurrenti, tribuitur, hoc est, deipso prædicatur, corpus Christi, vtpote res significata, oppugnabas in tua confutatione hoc vsus Argumento:* Sed quis fidelium Christi sibi vnquam persuaderi patietur Christum in tanto mysterio & Testamēto suo, figura Grammatica ludere voluisse? *Hæc enim fuerunt, si modo meminisse potes, tua verba D. Grynæus, leges Dialecticas secutus illa in hanc Enthymematis formam redegit:*

Apologia. pag 62.

*Nemo fidelium sibi vnquam persuaderi patietur, Christum in tanto mysterio & Testamento suo figura Grammatica ludere voluisse.*

*Ergo non est Metonymia in verbis Cœnæ. Et per Iacobandricum consequens errauit Augustinus quando scripsit.*

*pſit. Poſſum etiam interpretari præceptum illud in ſigno eſſe poſitum. Non enim dubitauit Dominus dicere: Hoc eſt corpus meum, quum daret figuram corporis.*

*Hanc tuorum verborum, quæ paulò ante repetij, ſcopum & germanam ſententiam fuiſſe, & argumentum tuum rectè aſſumptum, nemo ſanus, nemo vel minima literatura tinctus inficiari vnquam poterit. Quare D. Grynæus rectè quoque & eruditè, quòd te peßimè habet & grauißimè vrit, argumenti tui fucum omnibus intelligentibus aperuit, præponendo nimirum tuo Enthymemati Maiorem Propoſitionem ad hunc modum.* Nec tibi homo fortiſſimè, quiſquam ſanus, ita Paralogizanti ſurrexerit, & carneadeum acumen tibi facilè tribuerit: quando hæc tua ſapientiſſima maior eſt, digna quæ cedro minioq; notetur. Apologia pag. 63.

*Quicunq; figura grammatica, verbi gratia, metonymia vtitur, is enimuero ludere vult.*

*Poſtea cum notum eſſet te puerili principij petitione nobis inſultare, hoc eſt, pro confeſſo aſſumere et pro oraculis venditare, quæ ſine manifeſta blaſphemia affirmari non poſſunt, rectè hæc verba ſubiecit.* Hanc tuam Maiorem proba prius, quàm ab aliis rectè dicta irrideas.

*Quid igitur ad hæc Iacobe Andrea reſpondes? aut quomodo te ex iſtis pedicis quibus te ipſum inuoluiſti miſerrimè, expedire conaris? vteris nimirum in tuo Cuculo bis artibus. Primum ais hoc fuiſſe tuum argumentum:* Vide Cucul. pag. 125. & 126. i.

*Chriſtum in Myſterio verborum ambiguitate ludere voluiſſe non eſt veriſimile: Euchariſtia Myſterium eſt: Ergo non eſt veriſimile, Chriſtum verborum ambiguitate ludere voluiſſe.*

*Atqui primò hoc argumentum in tua confutatione nec viſum, nec auditum, nec omnino animaduerſum fuit: ſed nuper modò à quodam tuo mancipio (Diacono, vt aiunt, Eccleſiæ Statgardianæ glorioſißimo.) cuius & nomine & ſimplicitate miſerrimè abuteris, & cui, propterea condolendum eſt, timidè parumq; prudenter admonitus excogitaſti. Quò haud obſcurè ſignificas, te iam prioris tui argumenti, quo tu, antequam à D. Gryneo quàm caſſum & elumbè eſſet oſtenderetur, maximè triumphabas, pudere & ita pigere, vt pro tuo agnoſcere amplius non auſis. Quòd quàm grauem Diſputatorem, & ſenem Theologum deceat, iudicabit aliquando poſteritas. Et hoc eſt primum candoris tui & ſtudij inquirenda veritatis documentum.*

*Deinde, mi homo, de hoc tuo argumento, quod in locum prioris tui ſophiſmatis ſubſtituiſti, nequaquam inter nos diſceptatur aut controuertitur. Quid enim? Concedimus, imò vnà tecum, te ſte Deo καρδιογνώστη, conſtanter do-*

*temus, tantùm abesse vt Christus, qui ipsa veritas & lux Ecclesiæ suæ est, verborum inuolucris nos deceperit, aut luserit, vt potius cum scriptura Sacra, & sicut natura omnium Sacramentorum postulabat, sit locutus: adeò vt de Christi mente nemo sanus dubitandi aliquam causam habeat. Concedimus etiam vt alia Sacramenta omnia, ita etiam Cœnam Dominicam rectè appellari ab Orthodoxis Mysterium: cum Cœna Dominica cum reliquis Sacramentis omnibus id commune habeat, vt in ea aliud oculis corporeis videatur, quam menti contemplandum & fidei percipiendum proponatur. Videt igitur pius lector, quod certè non odio tui, aut inuidia tibi conflanda gratia monemus, te operam ludere, & actum agere, cum nobis talem Conclusionem oppugnandam obiicias, de qua vel dubitare nos quoq; non minus quàm tu, nefas omnino & extrema impietatis esse ducimus & protestamur? Cæterum cum tuas artes iam pridem nouerimus, facilè odoraram quo tua ista conclusio dirigatur, & cur in nos, tanquam venenatum telum contorqueatur. Nempe, vt calumnias calumniis tuo more (ignosce liberè & quod res est monenti) cumules, vis hac tuis mancipiis, quæ te pro Deo terrestri adorare coguntur, persuadere, nos, quos Caluinianos & Zuinglianos bellè vocitas, Christum arguere. quasi ambiguitate verborum luserit, suaq; Ecclesiæ imposuerit. Sed hæc tua calumnia tam verè est in nos conficta, quam illa, quas superioribus annis perpetuò in ore habuisti, de Christi veritate & omnipotentia in dubium à nobis vocata. Sed oramus Deum, qui aliquando Iudex inter te & nos sedebit, vt tibi istam iniuriam condonet: quia haud leuibus coniecturis adducimur, vt metuamus, ne iusto iudicio excæcatus planè quid loquaris aut facias, ignores. Sed hoc sit primum candoris tui documentum.*

*Deinde D. Grynæi responsum, quo tanquam acu vomicam tui sophismatis tetigit, eleuare & in contemptum vocare conaris his verbis.* Cuculus proponit forma Enthymematis, & tamen negat Maiorem, sicut superioribus annis Molossus quidam conclusionem: sed istaiumentis illis, quibus non est intelligentia, condonanda sunt. *Sarcasmi tui à splendida bile extorti veniam tibi exoptamus à Deo: cuius ministros, quos, crepet inuidia, is præclaris donis Spiritus sancti ornauit, iumentis comparare, non certè sine blasphemia & crimine læsæ maiestatis diuinæ, non vereris. Adrem ipsam verò quod attinet, hæc pauca accipe. D. Gryneus, sicut ex eius verbis paulò ante à nobis allegatis apparet, nullam Enthymematis tui partem vel negauit vel affirmauit: sed, quod omnino factum oportuit, ei Maiorem tuam Propositionem præfixit, eamq;, vt inde firma Conclusio deduceretur, probari suo iure postulauit. Neq; verò D. Grynæus opus habet à te cui ista φιλοσοφικώτερα non tantùm sordent, id quod crebris sermonibus significare consueuisti, sed etiam magna ex parte ignota sunt, id quod res ipsa loquitur,*

vel

*vel moneri, vel erudiri, quid in Enthymemate inficiandum sit: cum eruditissima eius Disputationes, quæ in doctorum hominum manibus sunt, & quæ luminibus tuarum ἀμεθόδων Disputationum plurimum officiunt, luculentissimè testentur, quid ille per Dei gratiam hac quoque in parte præstare possit. Præter ætatem autem, quod pace omnium bonorum dicam, & præter professionem tuam facere videris, cùm tam apertè hoc ipso loco calumniaris & ea affirmas, quæ falsissima esse omnes intelligentes vident. Verùm enimuerò aliter fateri, loqui, & scribere non possunt: quibus quid vis potius perpeti propositum est, quàm veritati cedere & errorem admissum agnoscere, eumq; recantare.*

*Tertiò, Maiorem tuam auctoritate Iurisconsultorum, quibus aliàs, sicuti tua scripta testantur, in hac causa omnem fidem derogas, stabilire conaris, adeò tibi ipsi constas.* Ad Maiorem ais, quod attinet, prouocamus ad ipsius Iurisperitos, an sit viri boni, ad alendas posteritatis contentiones, verborum figuris & obscuritatibus de industria hæredes ludere. *Nos verò prouocamus ad omnes rectè sentientes, an tu non sepiarum more atramentum spargas, verborumq; ambiguitate teipsum oblectes: ac propterea ab officio viri boni quam longissime recedas? Si enim per Maiorem intelligis hanc.* Non est verisimile Christum Mysterio & testamento suo ludere voluisse, *actum agis, sicut antea ostendimus, cum de illa nemo tibi litem intendat, nemo etiam dubitet. Sin verò per illam intelligis eam, quàm D. Grynæus tuo Enthymemati rectè vereq; ad hunc modum præmisit.* Quicunque in Mysterio aut testamento vtitur Metonymia, is ludit verborum ambiguitate, *habebis non solum omnes Iurisperitos (excipio eos, quos Vbiquitas planè stupidos cæcosq; reddidit) sed & omnes Medicos, omnes Theologos, omnes Philosophos, omnes Rhetores, omnes denique sapientes à te dissentientes. Et obsecro te, obtestorq; per tuam senectutem, vt etiam atq; etiam cogites, in quem labyrinthum variorum errorum teipsum hac tua Maiore præcipitem dederis, imò quanti criminis teipsum tuosq; accusaris & conuiceris. Etenim si omnis is, vt tute statuis, ambiguitate ludit, & posteritatis contentiones alere cogitat, qui in Mysteriis & Testamentis metonymicè aut figuratè loquitur: quid tandem de tota Sacra scriptura nobis sentiendum erit? quam constat tropis figurisq; plenissimam esse. Et certè, si aliis in locis scriptura Sacra & tropis gaudet & vtitur, hoc maximè facit, si de admirandis Mysteriis & Testamento Dei loquitur. Sic enim Genes. 17. Circumcisionis ceremonia, quam Mysterium fuisse nemo sanus negauerit, fœdus Dei cum Abrahamo initum non propriè sed figuratè & metonymicè, non ad ludendum Abrahamum, aut alendas posteritatis contentiones, sed ad ceremoniæ illius vim, dignitatem, præstantiam ac certitudinem significandam & declarandam. Sic Exod. 12. Agnus mactatus, tostus & mandu-*

catus Pascha nominatur, non quidem propriè sed figuratè & metonimicè, non ad imponendum Israëlitis, non ad alendas vllas contentiones, sed ad exprimendum vsum & efficaciam augusti illius Mysterij. Sic Arca fœderis quæ fuit Mysterium præsentiæ & auxilij diuini, Iehoua semel atque iterum nominatur. Num. 10. non certè propriè, sed figuratè, & quidem Metonymicè non ad desipiendos Israëlitas, aut ad contentiones inter eos excitandas, sed ad significandam & confirmandam certitudinem auxilij præsentiæq; diuinæ, cuius insigne, Mysterium & testimonium erat Arca illa fœderis. Similibus locutionibus pleni sunt libri Prophetarum & Apostolorum. In eo verò erras, ne quid grauius dicam, plurimum: quod arbitraris eum ludere ambiguitate verborum, & contentiosis hominibus rixandi materiam subministrare, qui figuratè quidem & tropicè, sed rei, de qua agitur, accommodatè & congruenter loquitur, non verò eum, qui alterius dicta calumniosè deprauat, & aliter quam dicta sunt, interpretatur, auctor sit rixarum & contentionum. Intelligis ergo, te, dum nimio odio Metonymiam in verbis Cœnæ oppugnas, in totam scripturam impium & blasphemum esse. Sed & teipsum, & tuos complices, & ipsum quoq; Lutherum, quem aliàs non solum Prophetis & Apostolis exæquare, sed etiam prorsus ὑπερβάλλειν non dubitas, grauissimè oppugnas, & grauissimi crimine imprudens reos agis. Quid enim quæso te per Deum immortalem. Si seriò putatis eum, qui figuratè in Mysterio & testamento loquitur, ludere ambiguitate verborum, & contentionis segetem spargere, cur Lutherus Synecdochen in verbis Cœnæ confinxit, eamq; tanto conatu propugnauit? Cur tu & alij Metonymiam in verbis Cœnæ, qua continens pro contento accipitur, Ecclesia Christiana tam impotenter hactenus abtrudistis, ac ea cum istis locutionibus Saccus est auena, Loculus est pecunia, Cantharus est vinum contulistis? Scilicet quando nos Metonymia in verbis Cœnæ demonstramus & inductione omnium locutionum Sacramentalium comprobamus: docemus Christum ambiguitate verborum nos lusisse: Vbiquitarij verò quando nunc Synecdochen, nunc Metonymiam contenti è verbis Cœnæ, tanquam aquam è pumice elicere conantur, omni culpa vacant, & τὸ ῥητὸν in verbis Cœnæ constantissimè tuentur. Sed benè habet Deum, totius orbis iudicem hæc videre, & Ecclesiam Dei istam libidinem iam intelligere occipere. Vt autem veritatis cupidus Lector intelligat, quo Argumento à te Metonymia in verbis Cœnæ oppugnetur: quo verò à nobis propugnetur: en breuiter & perspicuè vtriusq; argumentum hoc loco repetam. Tu igitur in confutatione tua loco paulò antè in margine annotato Metonymiam è verbis Cœnæ tollis hac voce, Quia non sit verisimile, Christũ in tanto Mysterio & testamento suo ambiguitate verborum ludere voluisse. Hinc, sicut omnes, qui rudimenta Dialectica primis, quod aiunt, labris degustarũt, intelligunt, talis syllogismus conficitur.

Quicun-

*Quicunq; in Mysterio magno & Testamento vtitur Metonymia: is vult ambiguitate verborum ludere. At Christum in Mysterio & Testamento suo ludere voluisse nemo Christianus sibi persuaderi patietur. Ergo Christus non vsus est Metonymia in hoc Mysterio & Testamento suo.*

*Maiorem propositionem, in qua est τὸ κρινόμενον, & quam falsam impiamq; esse paulò antè euicimus, vt probet Iacobus Andreas, iam rursus, iure omnium disputantium postulamus.*

*Nos verò Metonymia in verbis Cœnæ, omissis hoc loco aliis argumentis, hac firmissima demonstratione asserimus.* Vbicunque & quandocunque signo tribuitur nomen, aut proprietas, aut effectus rei significatæ: ibi Metonymiam esse necesse est. *Hanc propositionem nemo negauerit, nisi qui hanc Metonymiæ speciem prorsus è mundo tollere, hoc est, rem prorsus ἀδύνατον aggredi, & sese omnibus non tam videndum, quàm commiserandum propinare conetur.*

Atqui in verbis Cœnæ, pani & vino, vtpote signo seu Sacramentis externis, tribuitur nomen corporis & sanguinis Christi, & vtriusq; proprietates, hoc est, traditio & fusio pro nobis. *Hanc assumtionem nemo inficiatus fuerit, nisi qui panem & vinum signa seu Sacramenta externa esse inficiari animum induxerit.* Ergo in verbis Cœnæ Metonymiam agnoscent omnes rectè sentientes.

*Ad hoc nostrum argumentum vt tandem aliquomodo rotundè, & omissis calumniis, tergiuersationibus, & digressionibus, respondeas, te etiam atq; etiam per Dei gratiam Ecclesiaq; salutem monemus & obtestamur.*

*Sed de Metonymia satis multa: nunc ad reliqua, quæ in hoc capite inculcas, considerandæ venio.* Et valde stolidum est, inquis, quod Grynæus affirmat: Sycophanticè de se dici, quod nomen tantum corporis tribui pani asserat. *Hæc est altera tua accusatio, vetus illa quidem, sed adhuc nullo firmo argumento confirmata. Cæterum qua ratione illam hoc loco stabilire conaris?* Quare enim Metonymiam ais nisi hanc ipsam ob causam fingit? *Nisi nos τρόπος ὑπόθεσις fallat, sic videris argumentari.* Vide Cucul. p. 126.

*Qui asserit aliquod prædicatum de subiecto Metonymicῶς prædicari, Is simul asserit subiecto nomen tantùm prædicati tribui. At asserit in hac Enunciatione, Panis & corpus Christi, prædicatum, corpus videlicet Christi, de*

*de subiecto, utpote pane, non nisi Metonymicè prædicari.*
*Ergo Grynæus docet nomen tantum corporis pani tribui.*

*Antequam de Syllogismo tuo aliquid dicam, rursus monendus mihi videris de fraude, qua partim à scopo præsentis quæstionis aberras, partim nobis inuidiam conciliare studes.* Etenim D. *Grynæus non scripsit, Sycophantice de se dici, quod nomen tantùm corporis tribui pani affirmat: quando hæc sunt eius verba loco illo, quem tu arrodis:* Stolidum autem tuum commentum est, quòd ais: Nomen tantùm corporis cum pane percipi. *Itaq; mi Andrea, hoc loco, sicut omnes sani vident & intelligunt, vel aperte calumniaris, vel ea, quæ non satis inspexisti, ne dicam perpendisti, temerè reprehendis: vel te omnibus sensibus orbatum esse ostendis, vtpote cui,* percipere, *idem sit, quod* pani tribui. *Nullum autem ex tribus istis vitijs Theologum tam grandem decebat. Sed ad rem. Negamus igitur, vt res quàm plenissimè expediatur, tuam Maiorem: & negationis nostræ hanc tibi, vt innumeras alias taciti prætereamus, rationem ponderandam proponimus. Fœdus Dei, Genes. 17. de Circumcisione & Pascha Exod. 12. de Agno mactato prædicatur Metonymicῶc. sicut omnes rectè sentientes concedunt, & sicut figurata illius Enunciationis explicatio, quam Deus ipse subiunxit.* Est signum fœderis, Est memoriale transitus, *luculentissimè testatur. Nemo tamen, nisi extremè impius & desperatè blasphemus, dixerit aut senserit, Circumcisionem nihil aliud quàm nomen fœderis, & Pascha nihil aliud quàm nomen transitus habuisse. Cum enim illa Sacramenta fuerint promissionis gratiæ, & beneficiorum Dei cùm acceptorum, tùm accipiendorum, fuerunt præterea augusta & efficacia Spiritus sancti instrumenta res spirituales, & cœlestes significandi, repræsentandi, obsignandi, magis magisq; insinuandi, & confirmandi. Atq; ob hanc ipsam causam Sacramenta illa externa sæpenumerò accipiunt nomina rerum, quarum Sacramenta sunt, sicuti multis in locis Augustinus Orthodoxè & Sacramentorũ naturæ congruenter scribit. Vides ergo Andrea, si modo adhuc aliquid, videre cupis, tuam illam propositionem esse non solùm infirmam, sed etiam cum insigni blasphemia, qua in Deum ipsum, horribili auditu, redundat, coniunctam. In eo autem (vt fontem erroris tui cùm tibi tùm alijs ostendam) tantoperè aberras, quòd Metonymiam Sacramentalem nondum didiceris distinguere ab alijs prædicationibus metonymicis. Nam illa, sicut sæpè commonstrârunt nostri homines, fit, vt signum dicatur idipsum esse, cui externis sensibus, conuenienti analogia, & ex Dei ordinatione significando sic adhibetur, vt simul intellectui & fidei præbeatur res illa signata, verè & reipsa spiritualiter recipienda & obsignanda. Atq; hoc, mi Andrea non idcirco fit, vt Sacramento euacuentur, sicuti tu perpetuò, sed profectò calumniosè vociferaris, sed vt hac ratione hominum animi à contemplatione rerum terrestrium*

Vide Apolog. Gryn. pag. 63.

*restrium ad considerationem cœlestium, quarum causa Sacramenta instituta sunt & vsurpantur, traducantur. Ne verò noui aliquid à nobis confingi dicere possis, en nostræ assertionis sufficientissimum testem, Orthodoxum illum Theodoretum, & ab omni hæreseos suspicione alienum, qui contra Hæreticos sui temporis, à quorum errore vtinam tu quoq; longius abesses, ad hunc modum scribit, in 1. Dialogo, qui ab argumento, quod tractat, ἄτρεπτος dicitur.* Ὁ δὲ γε σωτὴρ ὁ ἡμέτερος ἐνήλλαξε τὰ ὀνόματα. Καὶ τῷ μὲν σώματι, τὸ τοῦ συμβόλου τέθεικε ὄνομα: τῷ δὲ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματος: οὕτως ἄμπελον ἑαυτὸν ὀνομάσας, αἷμα τὸ σύμβολον προσηγόρευσεν. *Hæc ille vnà nobiscum pie docuit: quæ vt tu quoque, cui omnibus modis consultum cupimus, intelligas ad hunc modum reddimus.* Ipse enim Seruator noster nomina permutauit. Itaq; corpori symboli nomen attribuit: symbolo autem corporis nomen. Sic postquàm seipsum vitem nominauit, sanguinem symbolum appellauit. *Ex hisce ergo, quæ bona fide à nobis (noli dubitare) conuersa sunt, intelligis, signo seu symbolo externo & visibili tribui nomen corporis, seu rei signatæ. Iam si quæras cum Eranista & cæteris tuis fraterculis, quos oppugnat Theodoretus, quid causæ sit τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς istius permutationis nominum: nihil prorsus audies de bellis tuis similibus, infantis incunis recumbentis, canthari in vino contenti, pecuniæ in loculo asseruatæ, auenæ in sacco latentis: sed hæc tibi respondebuntur eodem in loco, quæ nos paulò ante respondemus.* Λῆλος ὁ σκοπὸς τοῖς τὰ θεῖα μεμνημένοις. ἠβουλήθη γὰρ τοὺς τῶν θείων μυστηρίων μεταλαγχάνοντας, μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς, πιστεύειν τῇ ἐκ τῆς χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ. *Manifestus est scopus ijs, qui sacris initiati sunt. Voluit namq; eos, qui diuinorum Mysteriorum participes fiunt, non aduertere animum nostrum rebus visibilibus, sed per mutationem nominum credere mutationi ex gratia factæ. Et post pauca:* Τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς. *Hoc est, Visibilia symbola appellatione corporis & sanguinis honorauit non mutata eius natura, sed naturæ addita gratia. Hæc autem, mi Andrea, non est illa siue corporalis siue localis corporis & sanguinis Christi, in visibilibus signis inclusio & occultatio, quam vos, nuper admodum ex Lacunis Cardinalis Cameracensis haustam, defenditis: sed est illa gratia, de qua Augustinus præclare loquitur in Iohan. Tractat. 80.* Accedit verbum ad Elementum & fit Sacramentum, ipsum visibile verbum. *Sed hæc ad nonum caput ingenui tui Cuculi, vt tuæ petitioni morem gererem, ex Verbo Dei & perpetuò Ecclesiæ Orthodoxæ consensu responsa sunto.*

# DE REI SIGNATÆ perceptione.

PRincipiò, quod non sine gemitu & offendiculo legunt omnes pij, ostendere vis, te salibus, iocis & festiuitate non solùm omnibus Theologis, sed etiam Poëtis præstare, dum in re grauissima & augustissima ad hunc modum ludis. Sæpè miratus sum improbitatem Caluinistarum, quòd nos Cyclopes & Cœnam Domini Cyclopicam dicere non erubescerent, iam autem quid voluerint, intelligere mihi videor. Dixerat Cuculus alibi: Corpus Christi nunc nusquam nisi in cœlo esse: iam cum de Sacramentali non spirituali manducatione, sermo nobis est, dicit: Furere Iacobum Andreæ, qui neget, se veram rei signatæ cum signo participationem agnoscere. Et quidem de Poliphemo, quantus eius oculus fuerit Vergilius canit: Argolici clypei aut Phœbeæ lampidis instar. Quale autem os, & quantum ei fuisse credas? Neque tamen puto eum simul cœlum & terrã prodigioso ore comprehendere potuisse. Quid igitur de Caluinistis fabulatoribus dicemus, qui tale os fingunt, quod signum & signatum simul accipiat, quorum illud in terra hoc in cœli certò loco subsistat perpetuò. *Ad risum igitur tuum quod attinet, quo tanquam intolerabili Sarcasmo Deo ipsi, illudis & insultas, quid aliud respondeam, quàm illud Platonis,* Ἐστὶ δὲ ἐχθρὰ σοφία λοιδορεῖσθαι θεῷ, *Odiosa est sapientia Deo conuiciari. Nam quod in tam graui negotio tam leuiter & temere iocatur, quid aliud agere existimari potest, quàm Deum, qui nos non nisi seriò, piè & religiosè de suis Mysterijs cogitare, sentire, & loqui vult, somnis ludibrioq; exponere. At verò, mi Andrea,* noli peccare: Gal. 6. v. 7. Deus enim non ridetur, *vt tibi pro fabulis Vergilianis grauissimam Apostoli admonitionem in memoriam reuocem.*

Vide Cucul. p. 126.

*Vt autem ostendas te, quod etiam Demosthenes de AEschina sæpenumero dixit, te* ἀνθρώποις ἅμα καὶ θεῷ ἐχθρὸν εἶναι, *hominibus pariter & Deo inimicum esse tuum illiberalem iocum aliquod calumniis, quod tibi solenne est, tendere voluisti. De quibus cum autem sæpè sint refutatæ, paucis tantum tecum transigam.*

1. *Ais,* Nos non erubescere cœnam Domini Cyclopicam appellare. *At, mi Andrea, cur inuicta tua senectute non erubescis tam aperte calumniari, & tam temerè ea affirmare, quæ falsissima esse tot hominum myriades norunt? Nunquam nunquam Andrea, testibus nostris scriptis, sacrosanctum illud & augustum Domini Christi epulum Cyclopicum nominauimus:*

*dimus: Deus enim auertat à nobis istam blasphemiam: tibi verò eam calumniam ignoscat & condonet. Vt autem, quod res est, edicam, fateor tuam illam oralem manducationem, qua statuitis ipsummet Christi corpus non solùm in Sacramento, sed etiam in rei veritate ore percipi, sensualiter dentibus atteri, & in ventrem, trajici, à nostris hominibus Cyclopicam & blasphemam sæpè appellatam esse. Hæc autem vestra opinio plusquàm Cyclopica non est Cœna Domini, sed est Idolum à cardinali Cameracensi & Nicolao Papa in Ecclesiam Dei, nefario ausu, introducta, & à vobis magis magisq; propagata. Itaque cum Idolum, teste Paulo 1. Corint. 10. nihil sit in mundo, facilè intelligunt omnes, Cœnam Domini, quæ res est verè existens, à nobis nequaquam Cyclopicam dici, sed tuam calumniam contra nos fallacia accidentis confictam esse.*

2. *Ais*, Nos tale os fingere, quod signum & signatum simul accipiat, quorum illud in terra, hoc verò in Cœli certo loco subsistu perpetuò. *Imò contrarium clamant omnia nostra scripta & disputationes. Quid enim, quæso te, aliud contra vos obtinere ex verbo Dei studemus, quàm rem significatam cum in omnibus alijs Sacramentis, tùm in Cœna Domini non ore sed fide, non dente sed mente verè & realiter percipi? Qua ergo religione dicere audes, mi Andrea nos fingere vnum & idem os cum signum, tum rem signatam accipere? Sed hæc tuis moribus condonentur. Audiamus potius, qua ratione tuam calumniam suffulcias.* Nam de fidei, ais, manducatione inter nos non controuertitur, vt ad eam referre velint aut possint. *Imò verò Andrea, quia nullam nisi fidei manducationem in verbo Dei didicimus, ac proinde illam solam agnoscimus, propterea rei signatæ perceptionem non nisi fidei tribuimus, & non nisi ad fidei manducationem referimus. Vides ergo quàm tua ratio pro nobis faciat, & quanti erroris te convincat. Postquam ergo de rei signatæ participatione disputasti, conaris attodere & eludere, quæ Dominus Gryneus in hoc capite his verbis subiunxit.* Vide Apolog. pag. 64.

Mirum est hunc Aristarchum non intelligere, quam absurda fit promiscua harum vocum vsurpatio, In, sub, cum: nam, quod sub aliquo est, non est in eo, & quod in aliquo est, non est sub eo. *Primùm, ne cui dissimilis sis, salibus & iocis in re seria & magni momenti te illudas: neque adhuc in tanta tua ætate cogitasti illud Chrysostomi: ὁ γέλως ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διαβόλου ἔργον, Risus in Ecclesia Diaboli opus est. Cæterùm risu tuis indignis iocis, ponderemus potius rationes tuas, quibus tuum errorem tueare & tegere conaris.*

4. *Ais*. Liceat mihi vnum quærere ex Domino Cuculo, quare Scriptura dicat: Christum esse Deum, & Deum esse in Christo. *Quid autem, dic nobis acutissime disputator, hoc tuum ἐρώτημα ad rem facit? aut quomodo, obsecro te, tuum errorem excusat? aut quis intelligens te ita argumentantem ferat?* Vide Cucul. pag. 127.

*Scriptura dicit: Christum esse Deum, &, Deum esse in Christo: Ergo non est absurda harum vocum In, sub, cum, promiscua vsurpatio.*

*Non certè, sicut omnes vident, rectiùs argumentaris hoc loco, quàm is, qui ex baculo in angulo stante collegit Christum esse natum in Bethlehem. Illud verò, vt ad tuum interrogatum aliquid respondeam, te profectò, qui in studio Theologico tot annos iam consumpsisse nonnullis videris, omnibus modis indignum est, quod Lutheri auctoritate, sicut Elenchus noster superiori anno docuit, fascinatus nondum videre potes, duas illas enunciationes, quas affers, nequaquàm idem significare aut pro ijsdem vsurpari posse. Etenim prior illa,* Christus est Deus, *ostendit nobis, quis sit Christus respectu suæ personæ, videlicet non tantùm homo ex Iudæis natus, sed etiam verus & æternus Deus laudandus in secula. Posterior verò, non quòd sit Christus, sed quòd Deus nobis in Christo & per Christum nobis præstiterit, explicat. Itaque istæ duæ enunciationes, quæ in eodem loco ponuntur planè idem volunt.* Deus reconciliauit nos sibi per Christum, &, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. *Etenim vt nôrunt linguæ Græcæ non omnino rudes, participia apud Græcos iuncta cum verbo substantiuo naturam verborum induunt. Ac ne tibi, quem hæc omnino fugere non ignoramus, fumos vendere videamur, en nostræ explicationis clarissima exempla, quæ rectè à Platone ὅμηροι τῶν λόγων, prædes & obsides sermonis dicuntur.* Ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν ἐρήμῳ, καὶ κηρύσσων, *Erat Iohannes in deserto baptizans & prædicans, hoc est, Iohannes in deserto baptizabat & prædicabat. Marci 1. v. 4.* ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, Erat enim docens eos, tanquam auctoritatem habens, *hoc est,* Docebat eos, vt auctoritatem habens. *Itaque ex his intelligere non est difficile, Aliud esse, quando dicitur, Christus est Deus, &, Deus reconciliauit sibi mundum in Christo; quia illa enunciatio, sicuti diximus, Christi Personam, hæc verò eius officium nobis declarat. Atque idcirco ineptè à te hæ duæ enunciationes partim fallacia diuisionis, partim ignoratione figuræ dictionis adhibentur ad probandum has duas idem significare:* Panis est corpus Christi, &, In pane est corpus Christi. *Nam si duæ istæ, sicut iam rebus necessarijs addiximus, non idem significant: necessariò aduersus te relinquitur, neq; hasce idem significare, eo videlicet sensu, quo tu tuique arbitramini.*

2. Corint. 18. & 19.

2. *Ais:* Quare Scriptura dicat: Christum sedere ad dexteram Dei, à dextris Dei, in dextra Dei, num & hic insulsa sit Spiritus sanctus promiscua illa Syncategorematum vsurpatio? *Neque hoc tuum interrogatum, Andrea, ad præsentem quæstionem quicquam attinet.*

*Quæri-*

*Quæritur inter nos de loco, in quo sit corpus Christi, dum Sacra Cœna administratur. Nos cum Sacra scriptura & omni Orthodoxa antiquitate asserimus, corpus Christi manere in Cœlo, in quod visibiliter ascendit: nihilominus tum à nobis in vsu Cœnæ instrumento fidei & mediante Spiritu sancto percipi, applicari & ad vitam æternam teneri. Tu verò cum tuo grege nouè & monstrosè fingis nunc Corpus visibiliter & corporaliter esse in pane, nunc sub pane, nunc quocunque tandem modo cum pane: atque hac ratione ineptè & contra omnes Grammaticos harum vocum figurationes distinctas confundis, quod D. Grynæus non immeritò reprehendit. At verò, mi homo, quando disputatur de sessione Christi ad dexteram Dei, non certè quæritur de loco in quo sit Christus (licet ex scripturis constet, Christum non nisi in Cœlis, sedere ad dexteram Patris) sed quæritur de gloria & Maiestate, de regno & potentia, in quam Christus post discessum ex hoc mundo est euectus. Ac proinde illarum vocum vsurpatio promiscua, cum in omnibus eadem sit metaphorica locutio, non perinde, vt tua illa, est inepta. Vides ergo, Andrea, in quas angustias te tua consubstantiatio redigat.*

3. *Ais:* De Patribus quid dicetur, qui promiscuè his vocibus vsi sunt, num Cucule Aristarchia etiam insulsitatis ipsos accusabis? *Conuiciandi partes tibi libenter reliquimus Andrea. Ad rem verò ipsam quod attinet sic habito. Patres Orthodoxos, à quibus tu longissimè abes, his vocibus rectè, piè, & verbo Dei conuenienter promiscuè sine discrimine vsurpasse, sed non ea mente, qua tu opinaris. Etenim quòd illi dixerunt corpus Christi in, sub, cum pane manducari, non ad corporalem illam corporis in pane, nec ad crassam illam tuam consubstantiationem corporis & panis, de qua ne per somnium quidem cogitarunt, retulerunt: sed ita potiùs locuti sunt ad significandam relationem illam & σχέσιν signi & signati, quam nos cum ipsis asserimus & tuemur. Vnde Patribus, sicut aliàs productis ipsorum testimonijs aduersus te docuimus, in & sub pane idem significant, quod in & sub Mysterio & Sacramento, seu Mystice & Sacramentaliter. Ac proinde quiuis intelligit, Patrum auctoritatem te nec iuuare, nec accusari a nobis insulsitatis cùm inter tuam opinionem & ipsorum doctrinam plurimum intersit.*

4. *Ais:* Præterea ô Cucule, tui promiscuè his vocibus vsi sunt: Panis est corpus Christi: cum pane est corpus Christi: sub pane est corpus Christi: annè etiam ô Aristarche, tui homines doctissimi illi, insulsi tibi sunt? *Quid audio Andrea? An ignoras, nostros dum promiscuè istis vocibus cum Patribus vterentur ad coniunctionem illam signi & signati σχετικὴν respexisse? cuius respectu istarum vocum idem est vsus eademq; potestas, vt norunt omnes, qui Ecclesiastici sermonis non planè sunt insolentes. At verò, mi homo, tibi etiam atque etiam cogitandum est,*

*istarum vocum, si ad corpora dem & substantialem duorum corporum in eodem loco coniunctionem referantur, sicuti à te referuntur, nequaquàm vnam & eandem, si propriam earum potestatem consideres, significationem esse posse: quod nisi vltrò concesseris, à pueris quoq; ludibrio exponeris.*

5. *Ait*: Vt concludam hunc locum, gratias tibi demus Cucule, qui fateris nos promiscuè his vocibus vsurpare, qui aliàs nodum in scirpo quærens, vocem IN, exagitas, quasi corpus Christi in pane credamus, sicut infantem in cunis, aut vinum in cantharo. *Atqui Andreæ, pro eo potius gratia tibi agenda erant, si tam gratus esse voluisti, quòd D. Grynæum non tantum fatetur, te istis vocibus promiscuè abuti: sed etiam de errore Grammatico, hoc est, de insulsa istarum vocum promiscua vsurpatione tam fideliter monuit, teq; eo liberare voluit. Sed vt in alijs rebus plurimis, ita in hac quoq; à scopo vero quàm longissimè aberras. Neq; verò tibi iniuria vlla facta est à D. Grynæo, si quando affirmauit, te docere, panem eodem modo dici corpus Christi, quo cunæ infans, aut cantharus vinum, ac proinde corpus Christi eodem modo in pane esse à te statui, quo infans in cunis, & vinum in cantharo esse dicitur: siquidem tu superioribus annis bellas istas similitudines perpetuò in ore & amore habuisti. Quòd verò earum, vt potè quæ cum Sacramentis nihil plane commune habeant, tantopere te iam puderet occipit, id nec D. Grynæo nec vlli alij hominum, quàm tibi ipsi præstandum fuerit. Et hæc ad decimum caput, vt desiderio tuo satisfacerem, respondere volui.*

# DE MANDVCATIONE Infidelium.

RVrsus calumniandi partes tibi totas relinquimus: nec admodum, quo iure quaue iniuria ex Formula Concordiæ creuerit, laboramus: cum id non nobis sed tibi præstandum sit. Quare ad rem ipsam protinus accedamus, & quomodo pro tuis clientibus pugnes videamus.

Apolog. pag. 64. & 65. 1. Repetis igitur antè omnia, & quidem rectè isthuc facis, Argumentum D. Grynæi, quo ille manducationem infidelium refutauit ad hunc modum.

*Simpliciter Impossibile est, non viuificari eos, qui manducant Christi carnem & bibunt eius sanguinem: sicut etiam simpliciter Impossibile est, viuificari eos, qui non manducant Christi carnem: nec bibunt eius sanguinem.*

*Atqui*

*At qui nemo fidelium non viuificatur: contra nemo fidelium viuificatur.*

*Quare certissimum est, fideles quidem manducare Christi carnem: infideles autem eandem non manducare.*

*Quid ergo ad hæc Iacobe? Nihil nisi petitionem principij & Ambiguitatem verborum, qua te, ne nudus conspiciaris, tegis, respondes? Nam primo pro confesso sumis, de quo tamen maximum est certamen, videlicet duplicem esse corporis Christi propriè sic dicti manducationem, spiritualem nempe & oralem, cum ait:* Aut enim loquitur Cuculus de manducatione spirituali, de qua Iohan. 6. aut de Sacramentali. Si de priori, cum quo contendit? aut quem habet aduersarium? *Primò de spirituali manducatione carnis Christi loquitur Grynæus: deinde in ea sibi nobiscum, Capernaitarum & Nicolai Papæ sobole, magnum certamen, esse asserit: vtpote qui prateream, vestros illos Patriarchas seculi, oralem quandam fabricastis, & magno cum dedecore nominis Christiani nobis obtruditis. Sed audiamus alteram tui dilemmatis partem:* Si vero, *inquis*, de Sacramentali manducatione accipienda sit, Maior simpliciter falsa est. *Concedimus totum, quod hic sumis Andrea. Ceterum audiamus rationem tuæ assertionis*: Primò enim, *inquis*, si simpliciter impossibile est, non viuificari, qui non manducant, carnem Christi, & bibunt eius sanguinem Sacramentaliter, tùm non sola fides, sed solus Sacramenti cœnæ Domini vsus nos saluos faciet, sine quo viuificari posse (ait ille) est simpliciter impossibile. *Vt vitia teste Cicerone, sæpè induunt naturam virtutum, vt ab ijs vix discerni possint: ita tu quoq; Andrea, qui ab Orthodoxo vetustatis consensu quàm longissimè iam pridem discessisti, sermonem tuum Ecclesiasticum imitaris vis. Ne autem hac ratione imperitis fucum facias, paucis aliquid dicam de manducatione Sacramentali, quem cum Patribus, quantum ad verba attinet vsurpas, quantum verò ad rem ipsam penitus corrumpis. Etenim Sacramentalis manducatio, tibi tuisq; ali, qua corpus Christi in & sub pane Cœnæ ore corporis manducatur. At verò Orthodoxis Patribus Sacramentalis manducatio nihil aliud significat, quàm Sacramentorum, hoc est, externorum elementorum externa & corporalis manducatio. Et hoc cùm ex aliis Patrum scriptis, tùm verò ex Augustini loco, quem Tract. in Ioh. 26. colligitur.* Huius rei Sacramentum, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur: quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitum. Res verò ipsa cuius Sacramentum est omni homini ad

vitam, nulli ad exitium, quicunq; eius particeps fuerit. *Vides ergo Andrea, quomodo Augustinus manducationem Sacramenti, seu manducationem Sacramentalem opponat rei signatæ perceptioni: Vides etiam, quomodo per manducationem Sacramentalem signi externi, non verò rei signatæ eralem perceptionem intelligat: Vides deniq; quomodo Sacramentali manducationi, hoc est, symbolorum siue rei signatæ perceptioni exitium, perceptioni verò rei signatæ viuificationem sine omni exceptione tribuat. Vt verò de mente Augustini omnes debitandi causa præcitatur, accipe, quæ Augustinus paulò post subiunxit.* Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter & visibiliter præmat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit. *Hæc ille: è quibus vides & intelligis, non rem Sacramenti, sed Sacramentum externum & visibile ad iudicium manducari: non ab impijs pariter & pijs, sed à solis pijs carnem & sanguinem Christi percipi. Nisi velis Sacramentum corporis & sanguinis Christi esse ipsum quoque corpus & sanguinem Christi: atq; adeò aliquid sui ipsius repugnante relatorum natura, esse Sacramentum. Cum ergo, Andrea tibi quoque populo & scena, vt dicitur seruiendum sit, pudeat tandem te, in quem totius ferè Sueuiæ oculi coniecti sunt, pudeat inquam, in re tam clara, tam omnibus obuia & omnium oculis explicata velle hominum simplicitate abuti. Desine, moneo, Sacramentalem manducationem signi & rei signatæ perceptionem definire, cum Orthodoxi Patres, sicuti iam ostendimus, eam ad signi tantum perceptionem referant. Ne verò diutius in re manifesta operam ludere videar, dico Andreæ, D. Grynæum hoc loco de spirituali manducatione ipsiusmet carnis Christi, præterquam nulla omnino fit, loqui, atque de ea Augustini verba Tractat. 26. In Iohanne rummanda propono.* Qui manducat meam carnem (inquit Augustinus sub persona Christi) & bibit meum sanguinem. Hanc ergo non habet, qui istum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit: nam temporalem vitam sine illo homines habere non possunt, æternam vero omnino non possunt. Qui igitur non manducat eius carnem nec bibit eius sanguinem, non habet in se vitam: & qui manducat eius carnem & bibit eius sanguinem habet vitam. Ad vtrumq; respondet, quod dixit æternã. Nõ ita est in hac esca, quam sustentandæ huius temporalis vitæ causa, sumimus. Nam qui eam non sumpserit non viuet: nec tum qui eã sumpserit, viuet: Fieri enim potest, vt senio, vel morbo vel aliquo casu plurimi & qui eam sumserint, moriantur. In hoc verò cibo & potu,

hoc

hoc est, corpore & sanguine Diuino non it a est. Nam & qui eum non sumit, non habet vitã, & qui eum sumit habet vitam, & hanc vtiq; æternã. *Nunc reliqua in hoc capite, quibus D. Grynæi Argumenta arrodit, pauciis perstringã, ne tibi amplius tergeuersandi vlla relinquatur causa.* Vide Cucul, p. 128.

1. *Ait igitur*: Deinde simpliciter falsum est & alterum membrum maioris, quo dicit simpliciter impossibile esse, non viuificari eos, qui manducant Christi carnem & bibunt eius sanguinem. *Hæc tu: quæ si verè dicuntur: quid statuetur de dicto Christi: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam? Ioh. 6. v. 54.*

2. *Ait deinde*: Nam quod ait. Non posse quenquam esse simul membrum Christi & meretricis. Respondeo, verè id dicitur, nec enim quisquam nostrum docuit ideò impænitentes membra Christi fieri, sed potius reos corporis & sanguinis Christi esse, quæ in iudicium accipiant, quemadmodum & Augustini testimonia in eandem sententiam intelligenda esse alibi dictum est. *Ergo, vt cunq; Augustini testimonia detorqueatis & violetis, necessariò relinquitur; quod à nobis asseritur, impios corpus Christi non manducare, nec sanguinem eius bibere: quando teste Orthodoxa Ecclesia, nemo, nisi qui membrum Christi est, corpus Christi manducat & sanguinem eius bibit. Ac vt pius lector videat, quàm verè ista à nobis affirmentur, rursus Augustini sententiam tibi considerandam propono.* Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt Christi. Vt enim alia taceam, non possunt simul esse & membra Christi, & membra meretricis. Deniq; ipse dicens: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo: ostendit quid sit non Sacramento tenus, sed reuera corpus Christi manducare, & eius sanguinem bibere, hoc est enim in Christo manere, vt in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixerit: tanquam diceret: Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum aut bibere sanguinem meum. Non itaq; manent in Christo qui non sunt membra eius. *Ergo teste & interprete Augustino, constat, neminem, neminem inquam qui non sit membrum in Christi corpore, corpus Christi manducare posse.*

3. *Ait*: Et ridiculus est Cuculus, qui dictum Christi Iohan. 6. huc accommodat, cum etiam ipse Caluinus ad spiritualem manducationem referendum velit, & ineptos iudicet, qui de Sacramentali manducatione accipiant. *Recte sane Caluinus, qui cum Patribus Sacramentalem manducationem signi seu Sacramenti perceptio-*

*new interpretatur. Ad quam referre concionem Christi Iohan. 6. ineptum certè foret. At verò dicere Andreæ, concionem illam ad rei signatæ seu spiritualis in Sacra Cœna perceptionem explicandam & comprobandam nihil facere aut non pertinere: hominis ineptissimi est, & stolidæ supercilio totam Orthodoxam Antiquitatem asserentis: quæ certè, sicut ex scriptis apparet, vno ore & Corde concionem illam hactenus ad Cœnam retulit, idque piè & verbo Dei congruenter.*

4. *Ais:* Quòd verò ait: In æternum hoc theorema stare: vis viuificandi à corporis Christi communione separari nequit. Respondeo: Non separatur ideo vis viuifica à corpore Christi, quòd eam in impiis non exercet. *Rectè. At seperatur hac ratione à communione corporis Christi: quod nunquam fieri posse omnis scriptura Sacra & totus Orthodoxorum Patrum chorus luculenter confirmat. Aliud ergo est dicere, vim viuificandi non separari à corpore Christi, & aliud vim viuificandi non separari à communione corporis Christi: quia corpus non nisi communicatum viuificat. Quæ duo dum tu ineptè confundis, malitiosè animi tui candorem rursus probas.*

5. *Ais:* Vnus & idem sol suo calore indurat lutum, liquefacit ceram, in luto non separatur vis liquefaciendi ab eius calore, nec in cera vis indurandi. Quanto verò magis in Christo. *Atqui vnum & idem tuum simile duas diuersas easq; grauissimas fallacias operatur. Primùm enim perit principium: quia constat lutum & ceram eodem modo comparata esse ad solis calorem percipiendum, vnde mirum non est, si pro diuersis qualitatibus diuersimodè eo afficiantur: Atqui cum fidelis & infidelis natura primationis opponantur, & quæratur adhuc, vtrum infideles non minus quam fideles ipsam corporis Christi substantiam percipiant: nemo non videt se incertum per incertum probare. Oportet enim te priùs probare corpus Christi ab infidelibus percipi, & deinde tum demum simile illud tuum speciem aliquam veri habebit, & corpus Christi perceptum mortificare docebit. Deinde verò in simili tuo magna est dissimilitudo: Etenim si corpus Christi eodem modo viuificat fideles & mortificat infideles, quo sol ceram emollit, lutum verò indurat: tum sequetur corpus Christi viuifica sua vi alios viuificare alios mortificare. Quare? quia sol vna & eadem operatione, vna & eadem vi in diuersis subiectis contrarias illas operationes perficit. Atqui Christum viuifica sua vi partim viuificare, partim mortificare vix dicere audebit: Ergo fateberis, tuum simile plane dissimile esse & in vtrumq; latus claudicare.*

6. *Ais:* Notatu dignum est, quod ait: Paulum nusquam docere, impœnitentes seu infideles corpus Christi manducare, sed

eos

eos tantùm, qui castigentur, ne cum hoc mundo damnentur, quod de infidelibus non possit accipi, cùm illi nisi resipiscant, pereant. *Quid verò tu contrà?* Hactenus in voce, indigni, ais, sed vt plurimum corporis effugium sibi patere crediderint Caluinistæ: ideò dixerunt corporis.

*Nunquam Andrea incauto Lectori fucum faciet consueto tuo secundùm plures interrogationes vt vnam paralogismo. Quid enim? Scis proculdubiò in vsu Sacræ Cœnæ duplicem esse indignitatem: aliam personæ, infidelitatem, videlicet, qua qui laborant, indigni sunt mensa & poculo Domini, & his Sacramenta cedunt in æternum exitium. Alia verò est indignitas tractationis, eaque rursus duplex, alia in Impijs, quæ nihil aliud est, quam vera reuerentia externa & interna, ignoscentia, dilectionis, seria peccatorum deplorationis, resipiscentiæ, meditationis beneficiorum Christi, studij vitandorum scandalorum omnium priuatio: & hi meritò dicuntur rei fieri non percepti, sed spreti, & quasi pedibus conculcati corporis Christi, ac proinde æternum sibi manducare iudicium. Alia est in fidelibus & pijs, quæ nihil aliud est, quam virtutum modo nominatarum remissius studium, & frigidior sensus, & languidius exercitium. Et ob hanc negligentiam edunt sibi Iudicium & pœnam temporariam, cuius finis est, vt excitentur ad ardentius Christianarum virtutum studium, & salui fiant. Atque tales erant Corinthij quos Paulus ait, sibi comedere non κρίσιμα, sed κρίμα iudicium, quod ibidem definitur pœnis temporalibus, morbis nimirum & morte; & quod παίδευσις, id est, paterna salutariaque castigatio appellatur: quos & fratres suos appellat: quos mundo æterno supplicio mactando opponit: & quibus se quoque annumerat.*

*Sed quid contra hæc, quæ ex Paulo afferuntur, ibidem crocitas Andrea?* Cuculus, *ais*, nouum affert coccismum? *Atqui quomodo tibi, homini Lutherano, nouum est, quod ex Paulo, hoc est, verbo Dei, totidem verbis describitur, explicatur, & propugnatur? Sed perge.* Verum iam dudum, ais, explosus est à suis. *Qui verò sic:* Quia Caluinus ait: si rite vis vti beneficio Christi, fidem afferas & pœnitentiam. *Quid ergo inde elicis, quod nostræ sententiæ reclamet?* Si igitur hæc digna erat, *ais*, Corinthiorum *præparatio: quid indigna esset communicatio, quis non intelligit? Verùm enimuerò quis negauit vnquam, eos dignos esse, qui fide & pœnitentia vacui ad Cœnam Dominicam accedunt? Sed, tu quoque inuitus, vt ex ijs, quæ* Vide Cucul. p. 130. *Paulo antè diximus, apparet, nobis vicissim dabis etiam in pijs & fidelibus aliquam esse indignitatem, talem nempe, qualem antea descripsimus: ac proinde, si candidè agere volueris, fateberis te & fallacia à non consequenti, & ὁμωνυμίᾳ vocabuli ludere. Nunc, si lubet, perge:* Et rursus varij sunt gradus indignitatis, & aliqui grauius, aliqui leuius peccant. *Ast vbi acumen*

*quum est Andrea? Satin sanus es? qui Caluinum nostram sententiam tam ap-perte confirmantem nobis opponis, & tibi tot modis aduersantem in tuas par-tes rapere conaris? Recognosce enim nobiscum Caluini verba & videbis ab ipso non vnum genus indignorum, nec vnum pœnæ genus ipsorum constitui.* Ideoque, inquit Caluinus, varij sunt gradus indignitatis, vt ita loquar: & aliqui grauius aliqui leuius peccant. Ingeret se quispiam vel scortator, vel periurus, vel ebriosus, vel fraudator, absque pœnitentia: quum atrocis in Christum contumeliæ signum sit tam supinus contemptus, non dubium quin Cœnam percipiat suo exitio quisquis talis est. Veniet alius nullo insigni aut notabili vitio occupatus, sed tamen non ita comparatus animo vt decebat: quum securitas hæc aut negligentia signum sit irreuerentiæ, Dei etiam castigatione digna est. Quemadmodum ergo varij sunt gradus indignæ manducationis: ita hos leuius castigat Dominus, alijs asperiores pœnas infligit. *Ad Bezæ verba, quæ citat pro se, eadem prorsus est responsio.*

7. *Ait*: Calumnia autem est, quod tribuit nobis, quasi ipsa per se participatione & ipso vsu, vt loquitur, reos fieri doceamus, *Quid ergo Andreæ sibi volunt ista tua verba, è quibus Grynæus sua desumsit?* Apertè verò contrarium Apostolus Paulus testatur, videlicet IN VSV Sacræ Cœnæ non solùm fideles, sed etiam indignos & impœnitentes corporis Christi participes fieri. Non autem ad viuificationem, sed ad Iudicium, quos IN VSV huius Sacramenti reos fieri dicit corporis & sanguinis Christi, quia non dijudicent corpus Domini. *Itaque si hæc calumnia est, eam tibi ipsi imputes necesse habebis. Quid autem? quoniam calumniam esse probas?* Et ipse Cuculus nos excusat, vi veritatis adactus, dum ait: Dicitis reos fieri, quia non dijudicant corpus Christi. *Scilicet hæc egregia est vestri excusatio, ostendere nimirum, nos in patrocinio clientum nostrorum bellam contradictionem nectere: id quòd D. Grynæus, his verbis fecit*: Tibi ipsi autem fœdè contradicis, quando primum hoc dicis, istos reos fieri manducati corporis Christi: postea cum Paulo vi veritatis adactus, fateris, reos fieri, quia non dijudicent corpus Christi. *Hoc si te excusare est, dic nobis, quid sit te accusare?*

Vide Confutat. Disput. Heidelberg. p. 45. & 46.

Apolog. pag. 67.

8. *Ait*: Quod verò addit, qua fronte corpus Domini manducare & sanguinem eius bibere illos dicamus, quos Paulus panem edere & è poculo bibere affirmet, cùm Metonymiam negemus. Et quàm probè tibi constes ait, annè vides? *Hæc ex D. Grynæo: sed quid tu ad illa?* Respondeo: Imperitiæ tuæ, ô Cucule, aliquid

quid tribuendum est. Si enim studia tua confirmasses solidius, & quid Sacramentalis vnio esset, didicisses, nunquam tam stolide nec tu quæsiuisses, nec nobis insultasses. *Vtcunq; tumultueris, tamen nunquam ex illis Pauli verbis colliges impios manducare corpus Christi, nisi concedas rem signatam de signo & vicißim (siquidem relata sunt ἀντιστρεφοντα) metonymicῶς prædicari. Prodigiosam verò vestram vnionem Sacramentalem non ignoramus: qua fingitis corpus Christi esse realiter & substantialiter in pane, sicut auena in sacco, vinum in cantharo, pecunia in loculo. Quæ si vera est vnionis Sacramentalis explicatio: concedatis oportet, corpus Christi cum omnibus arborum folijs, cum omnibus cantharis ceruisiarijs, cum omnibus deniq; creaturis Sacramentaliter vniri: quia in ijs non minus à nobis constituitur, quàm in pane Cœna. Habes ergo Falconem, sicut petijsti, completum.*

# BREVIS ET PERSPICVA RESPONSIO AD PRODROMVM Labyrinthi Iacobandreani.

HActenus igitur ad tria illa capita responsum est Andreæ: nunc consequens est, vt Labyrinthi tui structuram paucis quoque considerem: & quàm ruinosa & te digna sit rectius intelligere possis. Ne autem illa ἀλόγως & planè esset, præmisisti præfationem ad me scriptam, calumnijs & sarcasmis refertam: de quibus breuissimè respondebo. Appellas Falconem nostrum: Abortum nu-

I. dum, crudum & penitus immaturum. Vnde conijcio, te, hominem humanissimum, scilicet, commiseratione ductum noluisse in eo oppugnando aliquid operæ & temporis ponere: sed maluisse, vt vertiginosum tuum caput omnibus probares, & tadium temporis falleres, Labyrinthi structuram exordi-

II. ri: Ais præterea, viros doctos & cordatos iudicasse tibi grauissimas causas esse, propter quas ne verbulum quidem mihi responderes. Inter cæteras autem illa, proculdubiò grauissima fuit Andreæ, quòd isti, cum sint docti & cordati, facilè animaduerterunt, te, dum mihi responderes, tui non dissimilem fore, hoc est, conuicijs, calumnijs, mendacijs, sarcasmis impudentibus potius, quàm rationibus certaturum esse. Quo certè agendi modo, tua Vbiquitaria factioni, sicut docti isti & cordati viri, quos ego noui, & quos facilè, si voles, nominabo, non dissentur grauissimam ignominiæ notam inussisti. Huc accedit & altera causa, quod isti facilè iudicare potuerunt, Falconem nostrum te nimirum tot criminum, calumniarum, sophismatum & errorum conuicisse, quot tu vel præhabiter refutaturus nunquàm esses: ac idcirco satius esse & Vbiquitaria cohorti consultius, si ista silentio tuo regerentur & sepelirentur. Illud verò lepidi tui capitis astutum commentum est, quod meam Apologiam, vnius litera præpositione eludere, atque si in Lapologiam conuerteris, expugnare te posse tibi imaginaris. Neq; docti viri & cordati, qui rerum causas rectè ponderare solent, casu factum esse arbitrantur, vt meum illud scriptum, cuius certè me neutiquam pudet, Lapologia à te, festiuo scilicet ioco, vocitaretur: cum Lapparum & tribulorum tuarum calumniarum, quibus me tanquam Lapitha quidam obruere voluisti, omni posteritati certissimum documentum sit futura. Sed hi sunt mores tui, vt quæ refutare non

III. possis, ea tuis cachinnis & sannis extenues & eludas. Addis, Meos Sacramentarios meam stupiditatem nunc quoque deplorare. Si Sacramentarios appellas, qui in Sacra Cœna consubstantiationem pariter & transubstan-

*substantiationem oppugnant, ac veram de Sacra Cœna doctrinam amplectuntur & tuentur, eos meos esse non inficior. Illos verò meam stupiditatem deplorare tantùm abest, vt me literis & voce perpetuò cohortentur, ne in oppugnanda Chimera vbiquitaria defatiger. Sed tibi, homini ætate iam grandi, quicquid in buccam venerit, effutire temerè licet. Cæterum quid tu facto opus esse duxisti Andrea, cùm viri docti & cordati tibi, ne mihi responderes, auctores essent, & cum planctum meorum Sacramentariorum, quo meam stupiditatem deflebant, exaudires?* Ego tamen, ais, ne vel inuictum te IV.
crederes, vel manus me dare atq; harena cedere, falsò persuaderes tibi, respondere paucis volui. *Si verò: quod Aristoteles, 1. Ethicorum prudenter ex Hesiodo repetijt, tecum perpendisses, videlicet hominem esse nullius pretij, qui nec sibi consulit, quòd ex vsu est, nec bene consulenti morigeratur, maturè ab hoc tuo proposito destitisses. Quid enim, quaso te Andrea? An non vtrumq́, quod præcauere voluisti, tibi vsu venit? An non me in meo Falcone his armis, quæ expugnari non possunt, vsum esse, tu ipse tuo præconio luculentißimè significasti, cum nullum eorum euertere, vel ausus fueris vel potueris? Nominas igitur Falconem meum crudum & immaturum abortum; vociferaris me purulentis conuicijs, putridißimis calumnijs pugnare: sed istarum rerum nihil probare potes. Quod certè omnibus intelligentibus argumento est Falconem nostrum etiam tuo testimonio in victum esse. Deinde verò, suscipe Andrea ad punctum temporis hominis sobrij cogitationem, & facilè animaduertes te harena omnino disceßisse, & abiecto clypeo stationem tuam timidè deseruisse. Excusandæ enim erant tibi, mî homo, si legitimè pugnare volebas, graues istæ calumniæ, impudentia mendacia, graues errores, quibus Cuculum tuum scatere noster Falco luculentißmè demonstrauit. Hic tibi pes figendus, hic consistendum, ex hoc loco pugnandum erat Andrea inuictißimè. Quid verò tu? Procul hinc resiliens, labyrinthi fabricam nobis exhibes, & nobis præstanda esse putas, quæ alij diu ante nos non vsque adeò commodè, si tibi fides habenda est, scripserunt. Nihil ergo restat, quam vt pueri nænijs decantent illud Aristophanis de te:* Ἀπὲβαλε τὴν ἀσπίδα. *Scis autem quo loco olim ῥιψάσπιδες apud Græcos habiti fuerint. Cæterum anxietas & metus animi tui te ita perplexum & implicatum reddit, vt quid loquaris aut scribas planè non attendas. Nam modo dixisti te mihi, hoc est, meo Falconi responsurum esse: nunc verò repentè & è vestigio animo & consilio mutato, ais te, mihi non responsurum esse. Non possum hoc loco mihi temperare, quin illud Horatij vsurpem.*

*Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo.*

*QVid verò, quò minùs mihi respondeas, obstat & impedit te Andrea?*

Nempe, *ais*, *Falco tuus est monstrum neque caput neque cauda est, vestibulum libri tui est insulsum, insipidum, item ais liber tuus mancus & mutilus erat. Certè Andrea tua scripta, consentientibus omnibus doctis viris, hisce tuis Epithetis ad viuum depinxisti: Inprimis verò istis elogijs digna est Analysis tua Epistolæ ad Romanos, & postrema tua de Cœna & persona Christi confessio. Ista enim duo scripta, qua quasi Cygneam cantionem esse voluisti, & capite & cauda destituuntur, mutila, manca, confusa, indocta omnino sunt: adeò vt ab omnibus doctis tanquam alter Mandrabulus meritò videaris: imò quod sæpe Tubingæ intellexi, etiam tuis discipulis fabula sis.*

VI. *Palmarium verò sarcasmorum tuorum in eo tibi relictum esse arbitraris, quod Typographus meus pagina vltima scripsit, cætera imprimi non potuisse, cum tardius missa fuerint. Nam hinc duo te colligere posse iudicas: alterum, Typographum meam siue inscitiam, siue ignauiam, accusasse: alterum, me præueloci cursu instar Satanimiæ nauis etiam vltra casum præteruectum esse. Sed audi Andrea si perrexeris tam iniquus esse in me index: certè ab alijs ijsdem criminibus, & quidem meritò, condemnaberis. Quid enim? Beumlerus ignauiæ accusatur, & inscitiæ temeritatiq; condemnatur: quia suum scriptum ita Typographo tradidit, vt vno & eodem tempore non simul prodire posset. Nam hic est, nisi me tua Vbiquitaria logica fallat, sarcasmi tui Elenchus. Quid ergo? Andreas, sicut paulò ante vidimus, recepit se Beumlero responsurum esse: & mox se responsum dilaturum esse, vt constans est, affirmauit: iam verò, cùm responsum vix ac ne vix quidem exorsus sit, librum tamẽ? suum edendum curat: & Typographus Tubingensis dignissimo suo Cancellario morem, ita vt par est, gerens responsum mancum, mutilum, nudum, crudum, confusum imprimit, & per totum orbem diuendit. Itaque si elenchus Iacobandreanus firmus est, Iacobus Andreas, hoc ipso facto à suo Typographo & imperitia, & ignauia, & temeritatis insimulatur, imò conuincitur. Præterea Iacobus Andreas Labyrinthũ Vbiquitarium fabrificari magnificè instituit: At pro labyrintho labyrinthi nudum, crudum, confusum siue prodromum siue porticum Typographus Tubingensis nobis obtrudit: perfectam autem eius structuram Iacobus Andreas in aliud tempus, in Kalendas videlicet Græcas reijcit. Quid ergo restat, quàm vt Typographus Tubingensis magnificum suum Præpositum magnifica inscitia, ignauia & temeritatis reum agat? Sed vereor, ne errem. Beumlerus est ignauus, est insciꝰ, est temerarius, quia ex vndecim capitibus Cuculi Vbiquitarij ad tria non respondit: At Iacobus Andreas, qui ad nullum caput Falconis in suo scripto aduersus Beumlerum respondit, est valde strenuus, peritus & grauis: id verò non nisi Præpositura & Cancellariatus sui priuilegijs.*

*Tandem verò, ne à moribus glorioſi militis recedas, atrociter mihi minitaris*

*tarij*, te posthac effecturum esse, ne tuum responsum anxiè amplius desiderem, sed vt palpare possim, quàm malè & mihi & rei Sacramentariæ consuluerim, quicunq; me Thrasonem stolidum, cui illic post principia consistendum erat, in prima acie consistendum ex iudicij imbecillitate censuerunt. *Tua conuicia nihil moror: minis verò tam fractis & inanibus parùm admodum mouetur. Scio enim, qui te intus & incute noui, te ex eorum grege esse, in quorum magnificis pollicitationibus.*

*Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.*

*Nec, qui Tubingæ tuos mores penitius cognoui, ignoro te haud multum dissimilem esse istis Dijs, quorum, Cicerone teste ea est inconstantia & leuitas, vt primis minentur extis, benè promittant secundis. Sed de minis tuis & terroris fulminibus scilicet brutis, satis multa: præsertim cùm, monente Cicerone minantis nulla sit apud liberos auctoritas. Quare ad primum labyrinthi tui anfractum perlustrandum venio.*

# PRIMVS RECESSVS
## Labyrinthi Vbiquitarij.

*ONarij igitur Andreæ, nostros doctores in inuidiam & grauem suspicionem vocare, quòd locum ad Corinth. 9 & 15. diuersimodè tibi videntur interpretati esse. Atqui, mi homo, antequam aliorum laudabiles conatus tam impotenter & audacter reprehenderes, priùs cogitandum tibi erat, quod piè & Orthodoxè Augustinus scripsit in libro de doctrina Christiana 3. cap. 27.* Quomodo autem ex eisdem scripturæ verbis non vnum aliquod, sed duo pluraue sentiuntur, etiamsi latet quid senserit ille qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex alijs locis sanctarum scripturarum doceri potest: id tum eo conante qui diuina scrutatur eloquia, vt ad voluntatem perueniatur auctoris per quẽ scripturã illam sanctus operatus est spiritus: siue hoc assequatur, siue aliam sententiam de illis verbis, quæ fidei rectè non refragatur excsulpat testimoniũ habens à quocunque alio loco diuinorum eloquiorũ. Ille ipse auctor in eisdem verbis, quę intelligere volumus, & ipsam sententiã forsitan vidit, & certè Dei spiritus, qui per eum hæc operatus est, etiã ipsam occursuram Lectori vel auditori, sine dubitatione prouidit. Nam quid in diuinis eloquijs largius & vberius potuit diuinitus pro-

uideri, quam vt eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia diuina non minus conteſtantia faciant approbari. *In biſce verbis Andrea, duo nobis conſideranda proponit Auguſtinus, quæ in expendo ſenſu abſtruſorum Scripturæ locorum piè obſeruari debent. Alterum eſt, nullo cum periculo coniunctum eſſe, ſi idem ſcripturæ locus diuerſis & variis interpretationibus illuſtretur: quia illa interpretationum diuerſitas ad reſonditam ſcripturarum vbertatem commendandam, haud exiguum momentum adfert. Alterum eſt, diuerſitatem interpretationum ea conditione ferri & admitti poſſe, ſiquidem aliis ſcripturæ locis confirmari poſſit, quamlibet illarum interpretationum à vero non aberrare, nec fidei Orthodoxæ, etiamſi ſententiam auctoris non aſſequatur, repugnare. His ergo duobus poſitis, damus tibi Andrea, diuerſas in locum citatum noſtrorum hominum reperiri explicationes, ſed tamen eam ob cauſam noſtros homines accuſari non debere facilè probabimus, quippe cum nulla ſit ex illis interpretationibus, quæ nõ ex aliis ſcripturæ locis confirmetur. Quod ſi verò ex abundanti etiam hoc docemus, videlicet nullam ex illis mentem Pauli aſſequi: non tamen inde conficeres, quod confeciſſe te iam confidis, vt nimirum noſtri homines viris grauibus & intelligentibus ſuſpecti aut exoſi fierent. Quare? quia nec probas, nec probâſti, nec probabis vnquam vllam aliquam ex illis interpretationibus, quas in tuo Labyrintho vellicas & arrodis, cum fundamento Chriſtianæ fidei pugnare: ſicut tuam opinionem facere paulò poſt docebimus.*

*Cæterum his ita præmiſſis, paucis videamus, quomodo noſtros homines partim oppugnes, partim inter ſe committas.* Prodrom. pag. 4. *1. Ais:* 1. Cor. 9 cap. inquit Apoſtolus, Viſum ſibi quoq; Dominũ, & quidem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *Anathema ſit, qui aliter ſentit & ſcribit: cum ſit, vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma. Eph. 4. v. 5.* I. *2. Ais:* Et quidem quomodo vel quo Chriſtum Dominum viderit, eadem Epiſtolæ 15. cap. dilucidè explicat. *Inſpiciatur autem locus ille, & modum à Paulo ibi nequaquam exprimi facilè intelligetur: ac proinde omnibus planum fiet, ſi ſine religione & iudicio effutire, quicquid cæca vbiquitas ſupercilioſè ſuggeſſit.* II. At verò, *ais*, ex verbis Pauli liquidè apparet de corpore Chriſti ſiue carne eius, Apoſtolum loqui. *Quid hoc verò admodum, quo Paulus Chriſtum vidit, ſignificandum pertinet? cùm, vt omnes intelligentes animaduertunt, aliud ſit, loqui de ſubiecto, quòd Paulus vidit, aliud de modo, quo vidit. Prius verò tantum cum Paulus, te quoq; teſte, exprimat: certè de poſteriore, quod tu ſumis, nihil meminit. Sed addis.* Et cum dicit, ſibi nouiſſimè omnium viſum: oſtendit certè poſt reſurrectionẽ & aſcenſionem demum viſionem hanc ſibi oblatam. *Neque hoc te leuitatis & temeritatis crimine liberat: quia aliud eſt loqui de tempore, quo aliquid ſit*

*aliud verò de modo, quo sit. Prius illud cum Paulus, te quoque interprete tantum faciat: certè posterius, quod tu sine omni ratione asseris, non attingit. Quid ergo? Tum tu præter & contra scripturam de modo disputas: ostendis te & τρόπον ὀπιστήμης penitus ignorare, & interpretationis scripturarum planè oblitum esse.*

*3. Ais: Postquam intelligerent Sacramentarij, ista ex Diametro pugnare cum eo, quod scribunt:* Nulla, ne diuina quidem vi, fieri posse, vt verum & naturale corpus, quale Christum habere nemo pius negaret: simul & semel in pluribus & diuersis locis esse possint (quo enim fieri non possit, quod aliquoties factum, adeò perspicuè affirmat Apostolus) varijs & variè detortis interpretationibus isthæc illudere conati sunt. *Video te his verbis duo spectare Andrea. Alterum est, vt optimum virum D. Petrum Martyrem, iam in Christo placidè quiescentem, traducas, quasi omnipotentiam Dei negâsset. Atqui argutissime argumentator, quis aliquo acumine præditus te ita non tam colligentem quàm coccysantem feret?* Martyr negat vlla fieri vi posse, vt vnum & idem numero corpus simul & semel in pluribus & diuersis locis sit: Ergo Martyr negauit Dei omnipotentiam. *Nam Martyr quod tu calumniosè dissimulas, id impossibile esse apertè scripsit, non defectu & impotentia Dei, sed ex ipsa rerum contradictione. Cùm verò manifesta contradictio implicetur, si Christo verum & vnum corpus tribuatur, & tamen verum illud & vnum corpus numero, vno & eodem momento in pluribus & à se inuicem seiunctis locis constituatur: quandoquidem certo certius est, vnum corpus vno loco terminari. Et cum quemadmodum impossibile est, vt plura corpora sine contradictionis implicatione vno eodem tempore, vnum eundemque locum occupent: ita planè impossibile sit, vt vnum idemque numero corpus, vno eodemque momento sine contradictione in pluribus locis constituatur: quid quæso in Dei omnipotentiam Martyr mali admisit, cum eam ad contradictiones implicandas extendi negârit? Certè si Martyr propterea est accusandus, haud iniquiori iure accusandus etiam erit Theodoretus, è quo Martyr ista piè & prudenter desumsit. Nam is Dialog. 3. contrà Eutychen, cum in doctrina de Persona Christi, tum in hac de omnipotentia Dei quæstione Magistrum tuum in hunc modum scribit:* Multa etiam alia reperire licet, quæ non minus sunt impossibilia. Nec enim τὸ αἰώνιον æternum ὑπὸ χρόνον ἔσται in tempore erit, nec τὸ ἄκιστον increatum κτιστόν γε καὶ ποιητὸν creatum ac factum, neque τὸ ἄπειρον infinitum πεπερασμένον finitum. *Ac propterea corpus Christi cum sit finitum, quod ne tu quidem negare audes: rectè ex Theodoreto concluditur, impossibile esse, vt fiat infinitum, ac propterea simul & semel in pluribus locis sit. Hisce ergo Theodo-*

*reti verbis vbi hæreticum, rei veritate conuictus, annuisset, subijcit hæc duo Orthodoxus:* 1. Πολλὰ τοίνυν ἐυρήκαμεν ἀδύνατα ὄντα τῷ παντοδυνάμῳ θεῷ, *hoc est.* Multa igitur inuenimus impossibilia esse omnipotenti Deo. 2. Αλλὰ τὸ μὴ δυνηθῆναι τι τούτων, ἀπείρου δυνάμεως ὐκ ἀδυνάτου τεκμήριον, τό δὲ δυνηθῆναι, ἀδυναμίας δήπουθεν ὐ δυνάμεως, Hoc est: Sed aliquid horum non posse infinitæ potentiæ non infirmitatis indicium est: posse verò impotentiæ certè non potentiæ. *Desine igitur tandem Orthodoxos calumniari, de omnipotentia Dei indubium vocare, ac disce potius cum Theodoreto de ea adhunc modum loqui & sentire:* Ὁ γὰρ θεσπότης θεὸς, ὑσὰ ὅσα μὴ πέφυκε βούλεται, πάντα δὲ ὅσα βούλεται δύναται, βούλεται δὲ τὰ οἰκεῖα φύσει σῴζεσθαι καὶ πρέποντα, *hoc est:* Dominus Deus nihil vult eorum, quæ à natura sua abhorrent. Quæcunque autem vult, perficere potest. Vult autem tantum suæ naturæ accommodata & congruentia. *Sed his omissis, quæ toties tibi, tanquam surdo cantata & decantata sunt, videamus quàm logicè & acutè hoc loco colligas:*

*Paulus testatur se vidisse Dominum & quidem secundùm corpus:*

*Ergo Sacramentarij intelligunt cum Pauli loco pugnare, quod scribunt, nulla vi diuina fieri posse, vt verum & naturale corpus, quale Christus habet, simul & semel sit in pluribus & diuersis locis.*

*Atqui Andrea in hac tua consecutione, in qua antecedens cum consequente tanquam lutum cum ferro coharet, falsam hypothesin, quam nulla vnquam ratione probabis, præsupponis, hoc est, vt Damasceni verbis vtar, arundineum baculũ, cui innitaris, tibi substituis. Nam dogma Vbiquitatis te ita dementauit, vt opineris, Christum in corpore videre siue in carne, idem esse, quòd Christum simul & semel in pluribus locis conspicari. Hoc verò quàm ab omni ratione abhorreat, præter Vbiquitarios intelligunt omnes. Etenim Iohannes, Maria, Sacerdotes, milites Christum de cruce suspensum vidisse dicuntur, & quidem in corpore seu in carne: nemo tamen ita insanit, vt ex eo colligat, huic sententiæ repugnare, qui negant, Christi corpus tum in Iudæ laqueo, fuisse vt Lutherus olim voluit: aut in Cantharis ceruisiarijs, vt tu insolenter in Disputatione Vvittenbergensi scripsisti: aut extra omnia loca inuisibiliter & illocaliter, vt Brentius monstrosè docuit: aut in quouis pomo, piro, & cantharo ceruisiario, vt Parsimonius prophanè concionatus est: aut in inferno, vt Marbachius impiè disputauit. Imò contrarium esse isto conspectu rectè asseritur.*

*Hus ita constitutis incipis examinare loci Paulini interpretationes, quas*

*mala*

*mala fide ex nostrorum scriptis decerpsisti & deprauasti: Ac in primis Nicolaæ Hemmingio succenses, quòd is scripserit 1. Cor. 9. Paulum Christum vidisse in tertio Cœlo. Subijcis ergo:* Dicas enim nobis tu, mi Marce, explicatio- Prodrom.
nem hanc à quo didicerit? Vnde hauserit? quibus rationibus, 5. & 6.
quibus Scripturæ, vel antiquitatis testimonijs illam confirmare velit, aut possit. *Tu verò, mi Andrea, dic nobis hæc duo, primum quibus rationibus, quibus Scripturæ aut antiquitatis testimonijs hæc explicatio repugnet? Deinde quibus rationibus, quibus Scripturæ vel antiquitatis testimonijs tuam opinionem, qua Paulum, Corpus Christi in terra essentialiter constitutum vidisse tibi imaginaris, confirmes? Nobis verò difficilè non est ex Scripturæ & auctoritatibus Patrum probare, Paulum Christum in tertio Cœlo vidisse, si modo ea ex Sacra scriptura non tollimus, quæ Paulus 2. Corint. 12. v. 23. & 4. scribit: nisi Christi corpus è tertio Cœlo & paradiso exturbemus: nisi ea planè ignoremus, sicut tibi vsu venit, qua Augustinus lib. 12. de Genes. ad Lit. copiosè & eruditè disputat. At objicies: Ambrosius tum ait,* Paulum vidisse Christum cùm oraret Hierosolymis in templo. *1. Cor. 9. Rectè sanè: sed attende rursus hæc tria, qua nobis nectis, sophismata. 1. Paul. in templo Hierosolymitano constitutus & preces concipiens vidit Christum Dominum. Ergo vidit Christi corpus constitutum corporaliter in templo. Hanc consecutionem firmam & necessariam esse tum demum probabis, si ostenderis Stephanum Actor. 7. in terra constitutum, vidisse Dominum Iesum in terris corporaliter ad dextram Dei stantem. Sed hoc primum sit diuisionis & compositionis Sophisma. Alterum est ignorationis Elenchi: Paulus Actor. 6. in templo orans vidit Christum: Ergo Paulus alio tempore non potuit videre Christum in tertio Cœlo. Tertium Sophisma est, est rursus fallacia diuisionis, & dicti ὡς ἁπλῶς: quia Paulus non simpliciter vidit Dominum, sed ἐν ἐκστάσει, qua videlicet extra se rapiebatur. Quæ sanè ἔκστασις nec facta fuisset, nec ea opus fuisset, si corpus Christi corporaliter in templo Pauli corpori adfuisset, quòd tu sine ratione affirmas. Vides ergo Andrea, quàm teipsum deformes, cum aliorum dicta tam odiosè exagitas. Sed quid amplius affers?*

Deinde quid respondebit, ais ille Zvvinglio? quid Caluino? Prodrom.
quid Musculo? Gualthero & cæteris? qui omnes visiones illas 5.
non ad tertium Cœlum, sed ad apparitiones à Luca in Actis recitatas referunt. *Certè demus tibi hoc ita esse, demusque hanc visionem Pauli, interprete Ambrosio, ad Actor. 22. Cap. referri: inde tamen non probabis Hemmingium ab alijs interpretibus, quos modo nominasti, discedere. Qui verò fit Andrea? quia Paulus non in se, sed raptus extra se vidit Christum. Quod si verò vt tibi videtur, corpus Christi corporaliter Paulo in templo astitit, quid quæso te per canes tuos opus fuit ista ἐκστάσει? Cum porrò constet Pauli ani-*

*mum extra corpus raptum fuisse ad Christum videndum. At perge si lubet.*

Prodrom. 5. Præterea ais, quare dissidet ille à seipso? Cum enim 1. Cor. 9. nos ad tertium Cœlum ablegasset, paulò pòst Cap. 15. ad Acta Apostolica nos remittit. *Quu verò non videt te pueriliter optimo illi viro insultare petitione principij, eaq; puerili, atque idcirco falso contradictionis notam inurere. Quid enim? Nondum, Andrea, probasti Paulum vtrobique de eadem visione loqui: præsertim cum Paulo suas visiones commemorandi vtrobique non fuerit eadem causa, nec idem finis propositus. Etenim Cap. 9. se Christum Dominum vidisse recitat, vt probet se Apostolum esse, atque ideo dignitate & auctoritate Apostolica cæteris non inferiorem: vnde probabilius est Paulum de augusta illa & stupenda visione, qua, in tertium Cœlum raptus, Christum vidit, loqui. Cap. verò 15. se dominum vidisse affirmat, vt probet, Christum suo corpore resurrexisse à mortuis: ac proinde verisimilius est eum loqui de visionibus in actis commemoratis. Quid autem porrò afferis?*

Iam & illud videamus, quomodo illi cum scriptura conueniant. Constat ergo primò ex ipso contextu, de auditis sibi in tertio Cœlo potissimum loqui Apostolum. Deinde audita sibi esse ineffabilia verba. *Tu verò Andrea vide potius, quomodo tibi ipsi tecum conueniat, & an apud te sis? Locutus es modò de loco Pauli 1. Corint. 9 & 1. Cor. 15. iam in tuo Labyrintho errore abreptus loco alieno incipis differere de loco 2. Cor. 12. Et quomodo quæso verba illa tua Hemmingium refutant, aut erroris conuincunt? Paulus, ais, loquitur, de auditis sibi in tertio loco: Ergo te teste & iudice non loquitur de ijs, quæ visa sibi & audita sunt in terra: ac idcirco teipsum refellis, quando in sequentibus scribis*; omnia, de quibus Paulus meminit, in terra gesta esse. *Scilicet tu tuis persuadebis amplius, tertium Cœlum etiam in hac terra esse: sicut nuper Vbiquitas nos docuit Cœlum Vbiquitarium, terrestre, & infernale fingere. Nam si placet, progredere.*

Caluinus, ais, inquit: Audiuisse eum quæ nefas sit proferre, cum ad solum Paulum pertineant, cuius solius causa hoc factum sit. Musculus verò scribit: audiuisse Apostolum quæ extra Paradisum inter homines, & ab hominibus nihil quicquam dici debeant: sed vt Gualtherus, ait, quæ soli Paulo seruire debebant. *Ecquid verò in doctissimorum istorum virorum verbis desideras Aristarche? Non intelligis ista ex Paulo desumpta esse, & ferè totidē syllabis descripta: ἤκουσεν, inquit: Apostolus, ἄῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι,* Audiuit verba ineffabilia, & quæ non liceat, seu quæ nefas sit homini loqui. *Hæc si ita sunt, vt vera sunt, aut dices ista verba audita nemini seruire debuisse, aut soli Paulo profuisse: tertium nullum est: sed prius illud affirmare sine blasphemia non poteris: Ergo posterius concedas necesse est.*

Quid

*Quid autem tandem, dic Andrea, in verbis illis, quæ Pauli verba sunt, desideras, aut quid inde contra Paulum mali colligis? Nempe tria absurda extruis, prius ad hunc modum*: Si nefas est homini dicere de ijs, quæ Paulus audiuit in Paradiso: Ergo sequitur illa de Christo accipi non posse. Rationem consequentiæ hanc addis. Num quid de Christo aliquid dicere, nobis Sacramentarijs nefas videtur. *Atqui Andrea, quis te ita calumniantem non grande nefas & inexpiabile scelus concipere iudicabit? Sacramentarij cum Paulo docent, nefas esse homini loqui quæ Paulus audiuit in tertio Cælo: Ergo ipsis nefas videtur aliquid de Christo dicere. Apage cum istis ineptijs in tam erudito seculo: quòd facilè intelligit, non statim eum negare totum, qui membrum negat aliquod totius. Est enim iste tuus à non consequenti paralogismus nimis crassus & puerilis. Certè Paulus, etsi ipsi non licuit ea dicere hominibus, quæ de Christo audiuit in paradiso: tamen multa nobis de Christo præclara dixit & scripsit, quæ si tu diligentius euolueres, non tam malignè in re seria luderes.*

*Sed alterum absurdum, quod colligis, hoc est*: Si ea, quæ Paulus audiuit in Paradiso, soli Paulo seruire debuerunt: Ergo Christus ad solum Paulum pertinet, eique soli seruire debet, & non potius saluti totius mundi. *Vtrum tibi homini grandi, ob stupendam insciti am magis condolendum, an ob singularem malitiam magis succensendum sit, dubitare quis meritò possit. Etenim, si ignoras Christum non omnia, quæ nostri causa fecit, fecisse in Paradiso, miser profectò es & miserandus, sin verò intelligis, & tamen hinc concludis, Christum propterea ad nos nihil attinere, omnium hominum maledicentissimus es & extremè impius. Quis enim te bonum virum, ne dicam grauem Theologum, esse iudicet, dum adhunc modum argumentaris: Sacramentarij docent, verba quæ Paulus audiuit in Paradiso soli Paulo seruire debuisse: cùm ea Paulo eloqui non licuerit: Ergo docent Christi incarnationem, passionem, mortem, sepulturam, resurrectionem, ascensionem, quæ omnia extra Paradisum facta sunt, soli Paulo seruire, & Christum pro peccatis totius mundi propitiationem non esse. Quam verò calumniosi tui ignorationis Elenchi rationem nobis affers? imò quam rationem Deo pro tam insigni maledicendi libidine reddes? quod tibi etiam atque etiam cogitandum erat: siquidem iudicium Dei, quod tibi proculdubiò impendit, minimè effugies.*

*Sed audiamus tertium absurdum, quod nobis impingis*: Si ea quæ Paulus in Paradiso audiuit, non licet homini effari: Ergo Paulus nefariè elocutus est illa. *Qui verò fit Andrea?* Apostolus, inquis, certè suas visiones retulit Corinthijs. *O lepidum, lubricum volebam dicere, Vbiquitatis caput, & dignum, quod helleboro purgetur, cum præ insania nunc*

*huc, nunc illuc, vagetur. Non quæritur hoc loco, Andrea, vtrum Paulus aliquid Corinthijs de visionibus suis retulerit: quis enim sanus de hoc ambiget? sed quaritur, vtrum Paulus suis Corinthijs ista verba ἄῤῥητα, quæ eloqui non licet, Corinthijs explicârit. Idque est, quod nos cum Paulo negamus: si verò tu affirmas, necesse habebis tanquam è tripode Vbiquitatis tuæ ea pronunciare: enunciabis autem tum demùm, si priùs probaueris Cœlum in inferno, & infernum in Cœlo, & vtrumq; vbique esse: sicut nuper docere capisti.*

II. *Postbac incipit Andreas de loco tertij Cœli, in quo Christum Paulus viderit non tam disputare, quam iocari & suauiter ridere. Ergo, vt temporis & pij Lectoris rationem ducam, iocos & calumnias de Christo in Cœlo capto & constricto tacitus prætereo, ac de re ipsa potius agam. Ais igitur:* Caluinus inquit, non esse hic Philosophandum: sed tertium Cœlum κατ' ἐξοχὴν pro summo & perfectissimo Cœlo, atque adeò pro beato & glorioso Dei regno accipiendum. *Atque Andrea, quid in hac interpretatione requiris, aut quomodo eam arrodis?* Acutè sanè, *inquis*, sed quomodo cum Orthodoxa vetustate consentit ille? Athanasius enim inquit: tertium Cœlum esse illud ipsum, quod ab initio cum terra conditum sit. Ambrosius verò affirmat: Paulum è tertio Cœlo in Paradisum demum raptum esse. *Non ergo tibi placet, quod Caluinus Cœlum tertium regnum Dei, quòd in altera vita habet interpretatur, & quòd illud Cœlum supra omnes Sphæras, firmamentum & omnem mundi huius machinam fixum esse docet. Et veteres eodem modo de hoc Cœlo sensisse & locutos esse, documento nobis sunt, quæ ex Beda citat Lombardus lib. 2. Distinct. 2. Hoc superius Cœlum, quod à volubilitate mundi secretum est, mox vt creatum fuit, sanctis Angelis impletum est, quos in principio creatos esse cum Cœlo & terra, testatur Dominus dicens Iobo: Vbi eras, cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei? Opponis ergo huic sententiæ duas Patrum auctoritates. Prior est Athanasij, qui te teste, Cœlum tertium appellat, quòd ab initio cum terra creatum sit. Quid verò, quæso te Andrea, hoc Caluini sententiæ obstat? aut quomodo abea dissidet? Certè Damascenus lib. 2. cap. 6. & Basilius Homilia 2. Hexam: eodem modo de Cœlo tertio loquuntur, & tamen per illud intelligunt locum illum, in quo Deus regnum suum spirituale habet. Nec certè id sine ratione fatere videntur: quippe cum rationi omni consentaneum sit, si quidem spiritualis Dei regnum etiam tum fuisse creatum præcipuè, quo cætera res omnes. Altera auctoritas, qua sententiam Caluini demoliris, est Ambrosij, qui affirmat, Paulum è tertio Cœlo in Paradisum demum raptum fuisse. Scilicet Andrea, Caluini fraudi esse debet, quòd tu siue astu siue insciția Ambrosij locum depraues. Certè Ambrosius non dicit Paulum bis & in duo distincta loca raptum esse: sed significat Paulum bis*

Prodromus. pag. 7.

dicere

*dicere seraptum esse. Peccas ergo hic & fallis diuisionis & compositionis fallacia. Ambrosio autem tertium Cœlum & Paradisum pro eodem loco accipi, ex verbis sequentibus apparet, quibus à minori corpora nostra immortalia facta futura esse in Cœlo sic probat*: Quid ergo mirum si post resurrectionem corpus iam expiatum atque tenuatum factum immortale credatur in Cœlis, quomodo non dubitat Apostolus adhuc mortale corpus potuisse leuari ad Cœlos, & tolli in Paradisum Dei Patris cœlestem. *Hac Ambrosius contra te, quem tibi assentiri captiosa opinione tuis persuasisti. Quid verò tu amplius?* Ista, *ais*, tu Marce, quo- Prodrom.
modo conciliabis, nisi dixeris fortè: paradisum esse vltra, & supra pag. 8.
illud summum Cœlum, & beatum regnum Dei, in quo Christus residet. *Certè Andrea, nunquam vel Vbiquitarijs tuis, quos alioquin mira sophistica inducere & fascinare potes, persuadebis, Ambrosium cum Caluino pugnare: quippe cum iam probârim, Orthodoxam illum Patrem Cœlum & Paradisum pro eisdem accipere: ac praterea Ambrosio Paradisus idem sit, quod regnum Dei cœlesti: siquidem hæc sunt Ambrosij verba*: In Paradiso, inquit, Patris: illic vbi & ciuitas dicitur esse Hierusalem mater nostra.

*Sed quid praterea affers? Scilicet Hemmingium et Musculum opponis Cal-* Prodrom.
*uino: æll eodem iure & æquitate, qua Ambrosium. Quasi verò illi pugnent cum* pag. 8.
*Caluino, quia Cœli significationes è scriptura Sacra obseruatas explicârunt: cum constat easdem significationes Caluino probatas esse. Vnum verò in ista explicatione tibi non arridet: quòd Hemmingius tertium Cœlum supra Cœlum, in quo sunt planeta & fixæ stellæ, collocauit. Nam iocando in hac verba erumpis*: Idque tam certò nouit ille, atque suos digitos. *Quid autem aliud facis, quàm vt Hemmingium irridendo, Ambrosio, quem pro te militare toties iam simulâsti, omnem fidem deroges, & grauissimam ignominiæ notam aspergas: sic enim ille*: Et fortè quibusdam vim non magnam esse videatur, si homo Christi raptus est ad tertium Cœlum, cum in tertio circulo: dicatur esse luna: Sed non ita est, quia vltra omnia mundi sidera raptus intelligitur: & ideo magnificum, & mirabile est, quod narrat. Significat enim supra firmamentum in tertium numero Cœlum de spiritualibus Cœlis raptũ semetipsum.

*Hortaris me praterea, vt, cum Musculum post significationes Cœli enumeratas non dixerit, in quo Cœlo fuerit Apostolus, ego vices illius suppleam. At mi Andrea, melius tibi consuleueris, si id ex prodigiosis Brentij scriptis hauriat. Nam de Cœlo valde monstrosè adhunc modum scribit*: Vt Zinglia- De Maie-
ni iterum habeant: quod exagitare pro ipsorum ingenio pos- stat. p. 160.
sint, Cœlum illud ea est conditione, vt in eo non tantum sancti homines, sed etiam Sathan & Angeli eius inueniantur. *Dic ergo*

*tu mihi Andrea, vtrum putes Paulum in hoc quoque Diabolico Cœlo vnquam fuisse? Postremo ais, te Vvolffgangum illum Musculum intelligere: scilicet vt illum à Francofurtensi illo tuo distinguas, qui verbum, Ascendit, interpretatus est, Euanuit. Quæ interpretatio, si vera est, quomodo dic nobis Andrea, Paulus videre potuerit Christum.*

*Tandem concludis hunc locum & Zwinglio, quem præ cæteris odisti, tribuis, quod per tertium Cœlum per hyperbolen vehementem quendam excessum intellexerit. Calumniosè verò de tertio Cœlo accipis, quod Zwinglius de toto Pauli raptu interpretatur. Sed quàm hyperbolicè putas Brentium scripsisse, cum ait:* Angeli manebant in Cœlo, & iam antea aderant apud Iacobum, sed tum primùm externa forma apparebant, cum obuiam fierent ei. Item: Angeli non deseruerunt, nec anteà aberant ab Helisæo, sed & simul erant in Cœlo, & tuebantur Elisæum in terris, & manifestabant se in monte. *de Maiestate pag. 141. Quam ergo hyperbolicum est, quod Brentius tuus non solùm Cœlum Vbiquitarium, sed etiam Angelos, Spiritus finitos, vt hactenus creditum est, Vbiquitarios somniauit. Quàm verò ipsi cum Basilio Orthodoxo doctore conuenit, qui de Spiritu sancto cap. 22. adhunc modum loquitur?* Angelus, qui ab Altari Zachariam alloquebatur, eodem tempore, in Cœlo propriam sedem ac stationem non implebat, *Quam verò hyperbolen spirat, quod idem Brentius scribit:* Moses & Elias cum apparuerunt præsentes apud Christum in transfiguratione nõ tum primum descenderunt de Cœlo, sed iam ante præsto adfuerunt, & in cœlesti regno manserunt. *De Maiestate pag. 158 O hyperbolen auream & cum aureo illo Vigilij dicto contra Eutychen 4. libro bene consentientem.* caro quando in terra fuit, non erit vtiq; in Cœlo: & nunc, quia in Cœlo est, non est vtique in terra. *Et cum illo Fulgenti ad Thrasimundum Regem lib. 2.* Vnus idemque, secundum humanam substantiam absens Cœlo, cum esset in terra, & derelinquens terram cum ascendisset in Cœlo. *Sed hic est vester, quem tantopere iactatis, cum Orthodoxa vetustate, dissentiens consensus, quæ mortui simul & semel in Cœlo & in terra esse finguntur.*

*Postremò disputas vtrum Cœlum & Paradisus vnus & idem locus sint, an verò diuersi: ac conaris in eo quoq; dissidentes nostrorum hominum interpretationes esse probare. Nam primo ais:* Negat Musculus eundem locum esse. *Et quomodo verò desines sperare, te homines prudentes & videntes fascinare posse? Quoniam Musculus negat eundem esse locum?* Quia, *ais,* Musculus inquit, ipsa narratio duorũ raptuum ita est distincta, vt liquidum sit, non esse de vno eodemq; raptu tantum intelligenda, quæ dicit. *Musculus ergo non duorum locorum, quod tu ipse affingis,*

Prodrom. 9.

*assingis, sed duorum raptuũ meminit, ac propterea te calumniatorem esse apparet. Tantum autẽ abest, vt cœlum tertium & Paradisum eundem locum esse negarit, vt potius contrarium expressis verbis, & tanquam tua calumnia obuiam iturus esset, scripserit, sicut ipse citas:* Nolui tamen sic inter tertium cœlum & paradisum distinguere, vt eos qui in Paradiso sunt à Christo separem. *Ergo Musculus duos raptus significare Paulum testatur: Paradisum verò & tertiũ cœlũ, in quo sunt beati spiritus, & Christus, pro eodem loco agnoscit. Locum tuum, quem hoc loco immisces, præterea, ac te moneo, nobis, teste ac monitore Christo, etiam de quouis verbo otioso rationem aliquando reddendam esse. Sed* pergis *postquam te salibus tuis recreasti, & subiungis.* Contra verò Orthodoxi doctores, scilicet, Calvinus & Gualtherus pro vno loco habent, quibus etiam Transmarinus ille accedit. *Silicet ideò eximij isti Dei serui tibi minus sunt Orthodoxi, quod Paradisum tantùm & tertium cœlum eundem locum esse ex Scriptura statuunt, ab illo verò loco terram & infernum remouent & seiungunt. Nam vos, Orthodoxi scilicet doctores, nuper somniare capistis, cœlum, terram, infernum, eundem prorsus esse locum: ita vt qui sit in cœlo simul etiam sit in inferno & in terra: & qui sit in inferno etiam sit simul in cœlo & in terra. Dic verò nobis Andrea, vtrum illa nostra sententia, an verò hæc vestra magis arrideat? Nam quis animi tui sit nunc sensus, hinc, cum tantùm intersit, intelligere planè non possumus.*

*Postremò, vt nihil non arrodas, Zwinglio ad hunc modum insultas:* Verùm si molestum non est, ea de re etiam Cinglium & illius somnium audiamus, qui à cæteris omnibus dissidens, singularis est. Paradisus inquit ille, per Synechdochen pro voluptate & amœnitate eximia ponitur. *Scilicet dictatore Andrea, Zwinglio crimini esse oportet, quod auctoritate Scripturæ sacræ & Augustini potest comprobari. Nam & scriptura sacra & Augustinus Paradisum ex consequenti pro summo gaudio, voluptate & amœnitate accipiunt. Sic enim inter cætera Canticorum 4. v. 13. voluptas, quam pij ex sua sponsa spirituali percipiunt, describitur & amplificatur:* Plantationes tuæ paradisus malorum punicorum cum fructibus dulcibus. *Sic Ecclesiastici 40. benignitatis beneficentiæq; fructus & voluptas eximia commendatur:* Benignitas est instar Paradisi fortunati, & beneficium in perpetuum permanet. *Ita eodem loco timoris Dei iucunditas extollitur:* Timor Domini est instar paradisi fortunatissimi, in quo ornando & colendo omnis alia gloria est superata. *Sic Ezech. 28. v. 13. regis Tyri felicitas, gaudium & voluptas exaggeratur:* In delitijs paradisi Dei fuisti. &c. *Item Apocal. 2. gaudium, quod Deus suis promittit amplificatur Apocalyps. 2. v. 7.* Victori dabo e-

dere ex arbore vitæ, quæ est in medio Paradisi Dei. *Quid ergo obstat Andrea, quo minus locum Pauli, ex consequenti de summo gaudio & voluptate, qua procul dubio Paulus perfusus in Paradiso fuit, explicetur? quippe cum illa explicatio tot Sacræ scripturæ locis nitatur & confirmetur? Huius rei consideratione adiuctus Augustinus de Genesi ad Literam libro 12. cap. 34. locum Pauli sic interpretatur:* Si enim propriè quidem paradisus est nemorosus locus, translatio autem verbo omnis etiam spiritualis quasi regio, vbi animæ bonum est, merito paradisus dici potest, non solum tertium cœlum, quicquid illud est, quod profectò magnũ sublimiterq́; præclarum est, verum etiam in ipso homine Cætilia quædam bonæ conscientiæ paradisus est. Vnde & Ecclesia in sanctis temperanter, & iustè & piè viuentibus paradisus rectè dicitur, pollens affluentia gratiarum, castisq́; delitijs: quandoquidem & in tribulationibus gloriatur de ipsa patientia plurimum gaudens, quia secundùm multitudinem dolorum in corde consolationes Dei iucundant animam eius. *Si ergo Andrea doctissimorum hominum lucubrationes cum timore & charitate potiùs omnia in melius interpretante expenderes, quam in id saltem incumberes vt eas eluderes: nunquam tam turpiter stares, nunquam & scripturæ & Orthodoxæ Antiquitati tam temere contradiceres, nunquam tuos canos tam turpiter pueris ridendos propinares. Et hæc quidem ad primum recessum prodromi tui responsa sunto: nunc ne me immemorem beneficij accepti iudices, nec de me tanquam de ingrato conquerendi causam habeas: aliquot Lutheri dicta, Labyrinthum periculosissimũ præ se ferentia, et δὶς διὰ πασῶν secum pugnantia concilianda proponam. Hîc autem sic cogites oportet Andrea: me tibi non multos, qui diuersimodè de re aliqua scriptitârunt, sed vnum Lutherum planè secum pugnantem proponere: item me tibi non multos de alicuius visionis circumstantijs sine Christianæ fidei, sine periculoso naufragio salutis dissentientes. sed vnum Lutherum in rebus grauissimis & ad animæ salutem & ad fidei fundamentum attinentibus secum colluctantem & digladiantem offerre.* Quis nos certos reddet, quòd quia Christi corpus non est sine anima sua, propterea oporteat animam ipsius esse in Sacramento. *inquit Lutherus Tom. 4. VVittenberg. pag. 591.* Viuere oportet omnia quæ sunt in hoc Sacramento. *inquit idem Lutherus, sed alio ore Tom. Genes. 1. Germ. pag. 329. Ergo primi Labyrinthi vestri recessus prima sit hæc contradictio.*

*Incertum est vtrum anima Christi cum corpore sit in Sacramento.*

*Oportet omnia viuere, quæ sunt in hoc Sacramento.*

Non

Non prodest caro Christi illis, qui non aduertunt animum ad verba quæ de carne suâ dixit, *inquit Lutherus fedatus super Epistolam Dominicam Sanctam septuagesime.* Non dicit: Mea caro non prodest, sed caro nihil prodest, *inquit Lutherus ira abreptus contra cœlestes Prophetas. Ergo primi Labyrinthi tui recessus hæc altera sit contradictio: vbi inquit: Caro non prodest quicquam.*

*Christus Iohannis 6. loquitur de sua carne.*
*Christus Iohannis ibi non loquitur de sua carne.*

Vides Christum tibi non tradi in manum, non deponi tibi in cistam, non ingeri tibi in sinum, non dari tibi in os, sed offerri tibi tantùm verbo Euangelij & per aures proponi tuo cordi, vt qui per te, tua iniustitia & immunditia se tradiderit: propterea nec vlla alia re præterquam corde potes eum accipere inquit Pacatus Lutherus. Serm. in Nat. Domini super Tit. 2. Non rectè faciunt tam Sacramentarij quam glossa decretorum, eum Nicolaum Papam reprehendunt, quòd Berengarium adegit ad hanc confessionem, qua dicit se atterere suis dentibus verũ corpus Christi, inquit ira æstuans Lutherus. *Hæc ergo tertio sit primi Labyrinthi tui recessus contradictio.*

*Corpus Christi nulla alia re præterquam corde potest accipi.*
*Verum corpus Christi dentibus atteritur.*

*Nos igitur Andreæ petimus à te, vt ne salem tuum (sicut loquitur Basilius Hexam. Hom. 2.) in nobis irridendis priùs consumas, quàm domestica rectè administraris, ne quando eruditus vester puluis, vt idem ibidem loquitur, irrideatur.*

# SECVNDVS RECESSVS
## Labyrinthi Vbiquitarij.

Predrom. pag. 10.

EXorditur *alterum Labyrinthi tui recessum, transitione triumphabunda ad hunc modum*: Ex his, quæ commemorata à me sunt, hactenus apparet: *Christum* Apostolo non in tertium cœlum rapto: sed in terris commoranti visum fuisse. *Etsi largimur, quod tibi sumis, Andreæ: tamen non obtinebis, quod iam obtinuisse captiosa opinione tibi persuasisti*: Paulus, *ais*, Christum non vidit in tertio cœlo & in Paradiso. *Atqui constat Christum & in cœlo & in Paradiso esse: quî fit igitur, dic nobis, vt Paulus eò raptus ipsum non*

*viderit? Scilicet cætera, quæ Paulus eo loci audiuit & vidit ita clara & illustria sunt, vt suis luminibus Christo officiant, eumq; planè obscurent. O rerum & verborum monstra à mancipijs vbiquitarijs enixa.* Præterea ais, Christus apparuit Paulo in terris commoranti. *Rectè: at inde concludesne, dic argutissime argumentator. Ergo corpus Christi tum fuit vel in terris, vel in multis locis, vel vbiq;? Non certè te id facturum esse iudico: nisi dicas solem & cætera sidera, quæ nobis quotidie apparent, suis corporibus in hisce terris, vbi nos sumus verè & realiter existere. Vides ergo quàm puriliter aut ex puris particularibus concludas, aut quàm temere falsum asseris.*

II. Prodrom. pag. 10. *Nunc, si ita tibi integrum est, attendamus alteram transitionis tuæ partem:* E tertio iraq;, *ais*, cœlo in terras delapsi ad castra Lysiana veniamus, vbi Scriptura, inquit; Sequenti autem nocte existens ei Dominus, ait: Constans esto. &c. *Habemus tibi gratiam Andrea, qui Brentij, qui tuo cœlo Vbiquitario contradicens, fateris cœlum & terram ita loca esse distincta, vt qui è tertio cœlo in terram venire velit, necesse habeat, delabi, hoc est, ex sublimiori loco in inferiorem moueri: Nam antehac* Brent. de Maiestat. pag. 41. & prodrom. pag. 11. *schola Brentiana & Vbiquitaria his vocibus personuit.* Crassissima somnia sunt, dicere, cœlum esse regionem supermundanam. *Item,* Cœlum nec locis, nec locorum interuallis, sed Maiestate Dei definitur.

III. *Postquam verò rursus tuo more sales & iocos, delitias tuas euomisti, incipis carpere interpretationes nostrorum hominum, qui in illam Pauli visionem extant. Ais igitur:* Gualtherus sic scribit: Sequenti nocte astitit illi Dominus, nimirum per angelum suum. *Quid verò? quoniam hanc interpretationem reprehendis aut refutas?* Ecce tibi, *inquis*, angiportum, cuius auxilio sese è conspectu nostro subducit ille. *Audio quid dicas: sed quoniam, quod semel temerè effutisti probas?* Dic, tu, *inquis*, mî Marce, qua auctoritate id fiat, vt pro ipso Domino substituatis nobis ministrum angelum. *At, mi Andrea, qua auctoritate Lutherus in Iesaia caput 6. ista,* Vidi Dominum, *interpretatus sit,* speciem Domini? *Num hæc eius verba sunt: Dicit propterea se vidisse Dominum: & species Domini, & idem Dominus, figura sermonis rectè pro eodem accipiuntur. Scilicet in Luthero miraculum adorandum est, quòd in verbis vidi Dominum, metonymiam, qua signum pro signato accipitur, constituit: In Gualthero autem grande scelus, & immane nefas est, quod in verbis, astitit Paulo Dominus Prosopopeiam esse statuit. Sed istis hominibus nihil nisi quod suum est, pulchrum est. Neq; verò Andrea hoc rarum est in Scripturis sanctis, vt in visionibus, quibus Deus se ministris suis vel ipsos confortandi, vel consolandi vel erudiendi gratia aperuit, eum qui apparuit, nunc Iehouam,*

nunc

*nunc verò Angelum appellent. Res clarior fiet exemplis. Gen. 18. is qui apparuit Abrahamo in quercubus Mamre, primo nominatur Iehoua: postea tres viri, hoc est, angeli dicuntur apparuisse, ab Abrahamo hospitio excepti, cum illo epulati, & collocuti. Et Paulus Heb. 13. v. 2. de hoc Iehoua qui Abrahamo visus fuit, ait.* Quidam inscij exceperunt angelos hospitio. *Zacharias 3. is, qui Propheta, vna cum Iehosua Sacerdote & Satana apparuit, vers. 1. dicitur.* Angelus Iehouæ: *& v. 2. Appellatur* ipse Iehoua. *Vides ergo Andrea, quam tritum, quam vsitatum & solenne sit Scripturis sanctis, vt in visionibus, quibus se dominus suis seruis patefacit, pro vocabulo* Iehouæ, *vocabulum Angelicum substituant. Ac proinde cum in hac verba impotenter erumpis:* ostende aliquod firmum & perspicuum scripturæ testimonium, *omnibus declaras, te, ἔθος γραφικὸν, hoc est: modum loquendi in scripturis vsitatum, vt Athanasij verbis vtar, ne primis quidem labris degustasse, sed prorsus ignorare. At quid opus est multis? Paulus ipse hanc interpretationem suo calculo haud obscurè confirmat, dum cap. 27. quomodo sibi Dominus apparuerit, his verbis exponit:* Astitit mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, quem etiam colo. *Tu verò Andrea vicissim tuæ Vbiquitariæ, hoc est, Eutychianæ explicationis Paulum, si potes, testem profer & auctorem ad hunc modum.*

Athanas. Dialog. 1. de Trinit.

*Posthac Andreas rursus opponit inter se nostrorum hominum interpretationes:* Gualtherus, ait, Astitit illi Dominus per Angelũ: Aretius: Assistit ei ipse Dominus: Bullingerus: Assistit ei Dominus siue per visionem: siue per Angelum: siue per spiritum. Talmannus ait: Visionem fuisse nocturnam, quæ non oculis, sed mente, siue vigilando, siue per somnium accipiatur. *Imò Andrea tam probabis istos clarissimos viros & eximios Dei seruos in fundamento religionis nostræ dissentire, quam solem in meridie non lucere: etiamsi in explicatione circumstantiarum huius vel illius visionis non per omnia consentiant, nec eodem planè modo loquantur. Et certè lustra aliquomodo, si tibi fuerit otium, scripta Orthodoxorum Patrum, & videbis eos non de omnibus obscuris Scripturæ locis idem sentire & iudicare. An propterea eos discordare dices? An propterea eos leuitatis & impietatis accusabis? An propterea eorum famam salutaremq; doctrinam in dubium vocabis cum suspectam reddes? At à nostris scelus igne & aqua expiandum concipitur, si non in fundamento fidei Christianæ, si in explicandis visionis alicuius circumstantijs, à se inuicem paululum dissentiant: At in vbiquitarijs leue crimen est & nullo cum periculo coniunctum, si contradicentes explicationes etiam in ea loca scripturæ nobis obtrudant, in quibus salus nostra agitur, & quibus non rectè intellectis fundamentum nostræ fidei labefactatur & conuellitur. Rem planam faciam duobus exemplis. Lutherus, in*

IIII.

Epistolam Dominicam septuagesimæ, dictum Ioh. 6. Caro non prodest, de ipsa Christi carne interpretatur, & inquit: Non prodest caro Christi illis, qui non aduertunt animũ ad verba, quæ de carne sua dixit.

Pag. 6. thes. 26. *Tu contra in Disputatione de hoc Christi dicto, hanc Lutheri explicationem anathemate diro ad inferna detrudis, & ais*: verba Christi cum inquit: Caro non prodest quidquam, de carne Christi non sine summa blasphemia intelligi vel explicari possunt, quæ loquuntur de carne nuda sine Spiritu. *Deinde tu in Disputatione VVittenbergensi, in postrema disput: de persona Christi, summo studio contendis persuadere carnem Christi vbiq; esse. Et in præfatione tua postrema ad Buchenium fateris generalem vbiquitatem fundamentum esse specialis præsentiæ corporis Christi in & sub pane Cœna. At in Apologia Erfurtensi non semel vbiquitatem corporis Christi, tanquam otiosorum hominum figmentum repudiant. Item Hesbusius, qui vester est, quid aliud fecit biscè annis, quàm vt vbiquitatem, quam tu cum Sueuicis tuis Theologis semper in ore & amore habes oppugnet, & ex animis hominum, in quibus iam radices egit, euellat? sicut Acta colloquij Quedliburgensis, superiori anno à nostris edita, luculentissimè testantur. Nunc si placet, perge. Sic autem videris argumentari:*

Prodrom. pag. 12.

> *Is qui Paulo in Castris astitisse legitur, dixit: sicut testificatus es de me in Ierusalem: sic te oportet & Romæ testificari. At Paulus Romæ & Ierosolymis de Christo testificatus est: Ergo Christus Paulo astitit in castris.*

*De forma syllogismi nihil laboro: scio enim tibi, tibi inquam qui Iacobus Andreas es hac in parte aliquid condonandum esse. Ad rem ipsam verò quod attinet sic habeto. Etsi nemo nostrum, siquidem ita vis, tuæ conclusioni contradicat: tamen fundamentum, quo niteris, & quo cum extruis, non ita firmum est, idq; duas ob causas. Nam primo si ita constanter colligis: Is qui Paulo astitit, dixit, sicut de me testificatus es in Ierusalem, ita de me testificaberis Romæ. Ergo qui Paulo astitit, fuit ipse Christus: si inquam hac consecutio firma est: tum eodem modo mihi licebit argumentari: Is qui Iacobo Gen. 31. apparuit, appellatur Deus Bethel, & dicitur is esse, cui Iacob vnxit statuam, & cui vouit votum: Ergo is qui Iacobo apparuit fuit ipse Deus. Atqui Andreas, ipse contextus ostendit, hanc consecutionem debilem & infirmam esse: quippe cum is, qui Deus Bethel appellatur, cui Iacobus dicitur statuam vnxisse votum vouisse, expresse dicatur. Non Deus, sed Angelus Iehouæ esse. Itaq; illa tua consecutio debili & infirmo fundamento niti perspicuum est. Nam hoc in omnibus visionibus, quibus Deus seruis suis apparet, perpetuum est, vt externa specie, qua hominibus obijcitur, per Metonymiam tribuatur nomẽ & proprium rei*

*rum rei ipsius, quam illa species representat, & cui seruit, Sic flammæ, quæ visibiliter in Apostolos delapsæ sunt Actor. 2. dicuntur Spiritus sanctus: nemo verò inde concludet: Flammas ipsam Spiritus sancti essentiam fuisse. Deinde verò cùm negare non ausis, Paulum hoc loco per visionem Christum vidisse, & cum ipse Paulus 2. Cor. 12. v. 1. testatur, sibi conspectum esse Deum per ὀπτασίας & ἀποκαλύψεις per visiones & reuelationes: quomodo tua conclusio, si non alio fundamento sustentetur & suffulciatur, stare poterit? Nam videre per visionem, nihil aliud est, quam Ideam aliquam absentis diuina virtute sic imprimi & representari siue sensui siue menti, ac si præsens astaret ob oculos. Sed de præsenti quæstione satis dicta sunto.*

# TERTIVS RECESSVS
## Labyrinthi Vbiquitarij.

*Vrsus veteris transitione, & ait:* Postquam igitur ostensum à me est, Doctorem hunc Angelicum à scopo aberrare, alium quæramus interpretem. *Certè etsi Gualtherum à scopo aberrasse daremus tibi Andrea: non tamen id à te rectè ostensum esse iam probauimus. Imò tu, dum id ostendere voluisti, sine scopo prorsus iaculatus es. Sed perge.* Hic vester Caluinus esto, qui vt peculiarem suam opinionem habet, qua à cæteris discedit: ita & dissidet à seipso. Etenim 1. Cor. 9. & 15 capitibus ingenuè fatetur visiones Paulo oblatas corporales esse, & Apostolum rectè resurrectionem Christi ex illis confirmare: tamen Actorum. 9. quasi sui oblitus visionem illam eandem, ad Diuinitatẽ filij Dei refert, quam Christus Paulo testatam facere voluerit. *Quid verò hic Andrea carpis?* Primum, *ais*, ipse secum pugnat. *Scilicet Andreas sibi secum pugnat, qui ex eo, quod Christi ex mortuis reditus conspectus est, vtrumq; probat, scilicet & Christum verè ex mortuis resurrexisse, & filium Dei, seu verum Deum esse. Certè Paulus vtrumq; huic sine vlla pugna & sine vlla contradictionis specie collegit, Primum 1. Cor. 9. & 15. sicut ipse concedit: alterum Roman. 1. vers. 4.* Declarato filio Dei potenter secundùm Spiritum sanctificationis per resurrectionem à mortuis nempe Iesu Christo Domino nostro. *Vnde intelligis Andrea: Christum quoties se suis ministris conspiciendum præbet, toties hac duo probare etiam sine omni contradictione, videlicet, se verè à mortuo corpore verò visibili & finito à mortuis resurrexisse: & se hac sua resurrectione verum Deum declaratum esse. Hac duo dum tu pugnantia facis, quæ tamen se mutuò consequuntur, declaras te quæstionis de qua agimus, planè, cætera nolo dicere,*

Prodrom. Pag. 12.

Prodrom. p. 12. & 13.

*Sed addis:* Caluinum pugnare cum contextu. *Quomodo autem id probas?* Nam quæ de comitibus ais Pauli, Lucas recitat (neminem autem videntes) illa Caluinus ad ipsum Paulum perperam torquet. *Cogita Andrea, te aliquando coram tribunali Dei iustissimi iudicis causam de tot calumnijs quibus mortuos Dei seruos insectaris, dicturum esse. Nego, nego Andrea, Caluinum ea, quæ de comitibus Pauli dicta sunt, ad ipsum Paulũ accommodare: atque meæ negationis Caluinum testem, sic scribentem produco.* Quùm hoc loco Lucas dicit vocem auditam & neminem fuisse visum, significant non ab homine profectam fuisse vocem, sed diuinitus emissam. Ergo vt miraculo constet fides, comites Pauli lumen instar fulguris conspiciunt, Paulum vident prostratum, vocem audiunt quamuis non articulatè sonantem è cœlo: Paulus interea solus docetur, quidnam sibi agendum sit. *Nunc iudicet cœlum & terra, vtrum tu apertus Calumniator sis, nec ne. Cætera quæ in hoc capite ex Athanasio, Chrisostomo, Ambrosio, Gualthero, Musculo affers Caluinum nec ladunt nec oppugnant, vtpote qui nunquam negauit illas visiones ad Christi resurrectionem probandam potissimũ pertinere. In eo verò tu turpissime hallucinaris, quòd ignoras, subordinatos fines eiusdem rei non pugnare, & quòd tibi captiosa opinione persuasisti, vnius rei plures esse posse fines. Cum autem de visionibus, quibus Christus Paulo apparuisse in Actis legitur, idcircò tam copiosè disputes, vt probes Christum suo corpore realiter post ascensionem in his terris fuisse, ac proinde in eiusmodi panibus rotundis, quibus cœna à vobis administratur, delitescere: fert animus Colophonio loco ex Augustino docere quid Orthodoxa vetustas de istis visionibus senserit, quomodo eas intellexerit & explicârit: vt tandem lippis & tonsoribus notum fiat, vos, vos inquam Vbiquitarios nouis & inauditis interpretationibus sacram Scripturam deprauare. Sic autem Augustinus, in Epist. Ioan. Tractat. 10.* Et ne quis erraret, & cum adoraret caput in cœlo, calcaret pedes in terra; Ascendurum caput in cœlum, commendauit membra in terra, & discessit. Iam non inuenis Christum loqui in terra. Inuenis illum loqui, sed de cœlo, & de ipso cœlo quare? Quia membra calcabantur in terra. Perfecutori enim Paulo dixit: Saule, Saule, quid me persequeris? Ascendi in cœlum, sed adhuc in terra iaceo: Hic ad dexteram Patris sedeo; ibi esurio, sitio, peregrinus sum. Et post pauca: Ecce quâ iaceo qui ascendo. Ascendo enim quia caput sum. Iacet adhuc corpus meum. Qua iacet? per totam terram.

Prodrom. pag. 14.

*Reliqua, quæ de visionibus Paulinis nugaris, cum clarissimum & grauissimum Theologum Hieronymum Zanchium potissimum petant, nolo pluribus tecum*

tecum disceptare. Viuit enim adhuc & valet Zanchius, qui calumnias in se conflictas sine negotio refutabit. Ego verò si Lectorem de duabus rebus admonuero, scribendi finem faciã. Primum est quod beatæ memoriæ virum Huldricum Zwinglium eo nomine reprehendis, quod Christi duplicẽ carnem & duplicem sanguinem habere scripsit: alteram quæ in mortem sit tradita, & sublata in cœlu, ad dextram Patris considet. Alteram verò, quàm in memoriam verè illius carnis, quæ pro nobis tradita est, manducamus. At mi Andrea noli cineribus Zwinglij pijs tam impudenter insultare, & verè verboq; Dei conuenienter dicta tam Sycophanticè exagitare. An non, dic nobis, tu quoq; in Sacra Cœna duplicem Christi carnem & sanguinem agnoscis: alteram, quam Filius Dei nostri causa assumsit, in mortem tradidit, ad Cœlos eleuauit, & qua Christus animas fidelium verè pascit & conseruat: alteram Sacramentalem, qua ad recordationem, interprete Christo & Paulo, Christi mortis q; eius ore externo sumitur & hauritur. Hæc Andrea si negas, aut panem & vinum Sacramentalem carnem & sanguinem Christi esse contra consensum omnium Orthodoxorum negaueris: aut ex pane & corpore, & ex vino & sanguine vnam substantiam in Cœna fieri monstrosè affirmabis. Sin verò id non negaueris, quomodo quæso te, id Zwinglio vitio vertis, quod ipse probas?

Deinde id odiosè & acerbè fugillas, quod nostri in interpretationibus visionum, & locorum scripturæ interdum hisce vocibus vtuntur: hoc sic potuit accidere: istud probabile: hoc verò non est absimile. Et vociferaris hanc Academicam Theologiam esse, & dubitationem quandam Pontificiam introducit. Bona verba quæso Andrea. Non statim in Theologia Academicus est & dubius, qui de circumstantijs alicuius visionis non temerè aut superciliosè pronunciat: sed suam sententiam, saluo aliorũ iudicio, modestè explicat. Is verò & Academicus & animi dubius est, qui in articulis fidei, & in doctrina de Sacramentis vacillat, & quid affirmet, nõ habet & talis omnium intelligentium iudicio fuit is qui suis sectatoribus in captiuitate sua Babilonica licentiam his verbis conceptam dedit. Permitto itaque, qui volet, vtramq; opinionem tenere; hoc solùm nunc ago, vt scrupulos conscientiarum de medio tollam, ne quis se reũ hæreseos metuat, si in altari verum panem, verumq; vinum esse crediderit, sed liberum sibi esse sciat, citra periculum salutis, alterutrum imaginari, opinari & credere, cum sit hìc nulla necessitas fidei. Tales voces si in nostrorum scriptis reperires Andrea, quantos per Deum immortalem clamores, quantas Tragœdias excitares? sed melius & tuæ conscientiæ, & Reipublicæ Christianæ, & Lutheri consuleres, si Dei seruorum, si quæ sunt σφάλματα, tegeres potius, quam tam calumniosè exagitares. Tum enim nõ, qua te vrunt & pungunt toties audire necesse haberes. Hæc verò de Labyrintho tuo satis: nũc paucis aliquod

*diligentia, candoris, pietatis et eruditionis tuæ documenta è tuis postremis centonibus excerpam, & pio Lectori æstimanda relinquam: vt omnes intelligant, te in tua senecta quotidie in peius proficere, idque iusto iudicio Dei, libidinem tuam, qua hactenus etiam cognita veritati vim feciſti, hoc modo vindicantis.*

# SPECIMEN DILIGENTIAE ET BONÆ FIDEI IACOBI ANDREÆ,

quod nobis in refutando Orthodoxo conſenſu dedit, vt ex vnguibus leo cognoſci poſſit.

## I.

Orthodoxus Conſens p. 1. f. b. Confutat. Orthodox. Conſenſ. pag. 64.

IN *Prolegomenis ex Athanaſio citantur hæc verba*: Eius eſt ire & venire, qui aliquibus locorum terminis circumſcribitur, & in eum in quo erat deſerere locum, vt ad alium vbi non erat, veniat. *Hic Iacobus Andreæ, antequam locum Athanaſij inſpexerit, adhunc modum tumultuatur*: hæc Zvvinglianorum, non Athanaſij verba ſunt, in medio ſententiæ verborum Athanaſij inſerta, *vt Lector exiſtimet, hæc quoque ab Athanaſio de circumſcriptione locorum dicta eſſe.* Et poſthæc *exclamat*: hoc næ in tam graui cauſa boni viri, ingenui & ſinceri Theologi eſt? *Nos vero prouocamus ad omnia Vigilij exemplaria, etiam ad ea quæ manu ſcripta in Bibliothecis aſſeruantur: & ex ijs hanc Iacobi Andreæ impudentem & temerariam calumniam iudicari & agnoſci cupimus. Nam ex ijs omnibus & ſingulis apparebit, hæc verba non noſtra, ſed Athanaſij eſſe, non à nobis inſerta, ſed à Vigilio accepta & bona fide à nobis recitata eſſe.* Nunc ergo tuam ipſius conſcientiam obteſtamur, *vt nobis dicas, an ne hoc ſit boni viri, ingenui & ſinceri Theologi, quod tam apertè & impudenter calumniaris?*

## II.

Vide Orthodox. conſenſ. p. 99. f. b.

*In Orthodoxo conſenſu allegatur ſententia Tertulliani, qua ex ὁμοουσία carnis Adæ & reliquorum Patriarcharum vſque ad Chriſtum, Orthodoxus ille Pater concludit, ſicut illorum caro non fuit ſpiritualis, ita quoque Chriſti carnem non eſſe ſpiritualem. Iacobus Andreas cum animaduerteret hanc concluſionem ſuæ opinioni de inuiſibili carne Chriſti è diametro repugnare, nec refutari poſſe, exclamat ad hunc modum.* Blaſphema etiam eſt compilatorum argumentatio, vbi ad hunc modum ratiocinantur; aut Patres videlicet Dauidem & Abrahamum ſpiritualia corpora & carnem habuiſſe, aut carnem Chriſti ſpiritualem non fuiſſe. *Quid ergo Andreæ tibi in mentem venit, cum concluſionem, qua Orthodoxus Pater aduerſus blaſphemum hæreticum Martionem nititur, blaſphemam nominaris, ac in-*

Vide refutat. Ortho dox. conſenſ. p. 291.

*ac inscius sub imperatore Martiane stipendia mereretur? Hæc enim non nostra, sed Tertulliani conclusio & argumentatio est, sicut hæc eius verba in lib. de carne Christi sub finem luculenter testantur: qui hæc legimus & credimus, inquit Tertullianus, quàm debemus et possumus agnoscere in Christo carnis qualitatem? vtique non aliam, quàm Abraham. Siquidem semen Abraham Christus. Nec aliam quàm Iesse, siquidem ex radice Iesse flos Christus. Nec aliam quàm Dauid, siquidem fructus ex lumbis Dauid Christus. Nec aliam quàm ex Maria, siquidem ex Maria vtero Christus. Et adhuc superius: nec aliam quàm Adam, siquidem secundus Adam Christus. Consequens ergo est, vt aut illos spiritualem carnem habuisse contendant, quo eadem conditio substantiæ deducatur in Christo: aut concedant: carnem Christi spiritualem non fuisse, quæ non de spirituali stirpe censetur. Hæc Tertulliani verba cum tu blasphema appellas, bonam gratiam apud Martionem inis; ac proinde multo verius tibi cum isto monstro nouam affinitatem gratulari possimus, quam tu Zanchio gratulatus es. Sunt talia multa in stolida tua refutatione, quæ nisi Deo aliter visum fuerit, suo tempore omnia demonstrabimus. Ex his verò paucis pius Lector facile de illis iudicium facere poterit.*

## EXEMPLVM INTOLERABILIS BLASPHEMIÆ IACOBI ANDREÆ ex Disputatione eius de dicto: Caro non prodest: excerptum. pag. 6. Thes. 26.

*Scribis in Disputatione de dicto Ioh. 6. inter cætera*: Quando caro spiritui opponitur, nihil aliud quàm caro intelligitur, siue de nuda carne, siue peccatis contaminata, intelligatur. *Hæc blasphemia si vera est, & in Ecclesia Christi toleranda: quid quaso inde consequatur, paucis attende. Sic autem ex tuo hoc fundamento liceat mihi (extra tamen omnis impietatis crimen & suspicionem) argumentari.*

*Quando caro spiritui opponitur in Scriptura, ibi nihil aliud intelligitur quàm caro nuda & peccatis contaminata.*

*Hæc maior est tua Andrea.*

*Atqui ad Romanos 1. v. 3. & 4. in his verbis de filio suo facto ex semine Dauid secundùm carnem, & declarato filio Dei secundùm Spiritum: Item 1. ad Tim. 3. v. 16. Deus est manifestatus in carne, Iustificatus in Spiritu: Item*

*1. Pet. cap. 3. v. 18. In his verbis, Christus mortificatus est carne, vivificatus spiritu, opponitur caro spiritui.*

*Hanc minorem si negaueris, quid facies aliud, quàm vt blasphemiam blasphemia cumules, & Sacra scriptura bellum indicas.*

*Ergo ista scriptura loca loquuntur de nuda carne, & quidem peccatis contaminata: ac proinde Christi caro est peccatis infecta cum ista scriptura dicta de carne Christi loquãtur.*

*Intelligis ergo Andrea, quàm præclare de doctrina Christiana mereatis, hoc est, quàm eam ludibrio exponas, & planè conuellas. Intelligis etiam, quam tum honorẽ Christo habeas, dum eum horribili errore in peccatorum gregem detrudis. Sed audiamus simile tuum κόλλημα, quod in eadem disputatione pag. 9. Thes. 46. edidisti.* Vnio personalis ais duarum naturarum diuinæ & humanæ in Christo est talis coniunctio, qua natura assumpta à λόγῳ ita sustentatur & gestatur in sua persona, vt quẽadmodum ὁ λόγος sine ea nihil, sed in ea, cum ea, & per eam, omnia in cœlo & terra agit: sic etiam natura humana sine λόγῳ nihil patiatur. *Ex hac tua definitione, quid consequatur, paucis mecum recognosce: ex tua enim sententia sic argutari libet.*

*Quemadmodum in vnione personarum duarum naturarum diuina natura in humana natura, cum humana natura, per humanam naturam, omnia in Cœlo & terra agit: sic humana natura sine diuina nihil patitur.*

*Hæc maior tua est.*

*Atqui diuina natura, teste Iacobo Andrea in omnibus suis scriptis, ita agit per humanam, vt ei omnes actiones proprias realiter communicet.*

*Hæc minor tua est.*

*Ergo humana natura ita patitur cum diuina, vt ei realiter passionem, crucifixionem, mortem, sepulturam, resurrectionem verè & realiter communicet: ac proinde eam passibilem mortalemq;, horret animus dicere, efficiat.*

*Hæc conclusio, cuius sit iudicabit pius & intelligens Lector. Deus verò tibi eam donet mentem, vt hæc agnoscere, & dum tempus habes, reuocare possis.*

FINIS.